



8
6
70
















PAROECIA,


SIVE

DE PAROECIARVM ET PAROECORVM ORIGINE, nec non de Missa Parœciali,

Editio secunda auctior.

AVCTORE IOANNE FILESACO Theologo Parisiensi.






PARISIIS,

Apud BARTHOLOMEVM MACEVM in monte D. Hilarij, sub scuto Britanniæ.

M. DCVIII.

Cum Priuilegio Regis.





V. C.

LVDOVICO SEGVIERO


ILLVST. ECCLESIÆ PARIsiensis Decano & Cõsiliario Regio in suprema Curia Parisiensi, Ioannes Filesacus T.P. D.D.

REdit ad te libellus hic, tibi ante annos sex & quod excurrit dicatus, sed curis secundis locupletior ac melior. Quidni faciam, ego nouo fato mactus & tuo quidem beneficio, ac, quod primarium duco, dum measmet ipse spes anteire paro, suauissimè & benignissimè, vt soles, quanquam rectum iter peragentem, cohibuisti, admonens, illud multos etiam bonos pessundedisse, qui spretis quæ tarda cum securitate, præmatura vel cum exitio properare sẽserunt, quemadmodum a Tacito grauiter pronunciatum est. En soluo quod de-

beo, & adhuc debeo quod soluo, vt suo rescripsit Ausonio Gratianus A. fortean verum dixerit apud Cæcilium quiritans nonnullus.

Itane Antipho iuuentus profluuiâ fide,
Itane est immemoris, itane est madida memoria.

At ætas firmior tuæ istius beneficentiæ recordationem magis ac magis obfirmabit, etenim hoc abs te beneficium accepisse me profiteor ac palam prædico, cuius magnitudinẽ nulla vnquam apud me delebit obliuio. Sed vt magnifici & generosi animi est, aiebat ille, iuuare & prodesse, ita si quid tantillum gratiæ habeas plurimi facere. Hoc te cogitare & sentire nullus dubito: & is quidẽ vigiliarum mearũ fructus mihi iucundissimus, Frustra est si quis me nomen hac ratione expedire dicat, illud enim tibi verè & serio edico, quod olim Furnius Augusto Cæsari, hanc vnam habeo iniuriã tuã, effecisti vt viuerẽ & mogrerer inratus.



INDICVLVS CAPITVM ET RERVM PRAECIPVARVM.

CAPVT I.

De commutatione nominum Diœceseos & Parœciæ.

PArœciæ an Parochiæ quæ verior Scriptura. p.1.
Parœciæ vox pro Diœcesi apud Veteres. p.3.
Latina versio Canonis Laodiceni apud Criſconium emendata & explicata. pag.5.
Christiani Veteres Eulogias amicis mittere ſolebant festis ſolemnibus. ibidem.
Ecclesiæ Cathedrales appellatæ Ecclesiæ Seniores. p.6.
Parœciæ vox pro Diœcesi poſt annũ Christi 800. & ſequent. ibidem.
Parœcia quæ apud nos, aliquando vocata Diœcesis. p.9.
Capitular. locus ſuæ origini & integritati restitutus. p.ij.
Concil. Toletan. 4. Canon illustratus. p.13.
Diœceſes pro ipſis Prouincijs, quibus Metropolitani ſinguli ſingulis præſunt. p.14.
Diœcesis pro vniuersa Ecclesia Catholica, cuius Caput Pontifex Romanus.
Concil. Arelatensis 1. locus valde deprauatus, restitutus. pag.16.

CAPVT 2.

Parœciæ, vulgari significato appellationes variæ.

Parœciæ vulgaris vox quàm sit antiqua. p.19.
Presbyteri Ciuitatenses, & Rusticani seu forenses. p.23.
Clericorum, alij locales, alij Diœcesani, p.idem.
Ciuitatis & Parœciarum distinctio. p.ibid.
Canonici vox quid significet Canone concilij Aruernensis. p.24.
Diaconi Vrbici & in villulis p.ibidem.
Apud Græcos parœciæ Rusticanæ. p.25.
Titulus pro Parœcia in Vrbe & extra Vrbem. p.26.
Plebs siue plebes, pro Parœcia, vt & pro Diœcesi. ibidem, & sequen.
Canon Concil Parisiens. emendatus. p.27.
Olim qui apud hæreticos episcopus extiterat, ad Ecclesiam Catholicam rediens Corepiscopus fiebat, ei aliqua cōmissa Parœcia. p.27.28.
Vnde nata sententia Corepiscopos olim non alios fuisse quam Parœcos. p.28.
Possessio & Territorium pro Parœcia. p.29.
Basilicæ vox multiplicis significati. p.30.
Ciuitatensis Ecclesia pro matrice. ibidem.
Dominicum pro Ecclesia, vario significatu. p.30.31.
Ecclesiæ vox licet generalis, nonnumquam tamen pro parœcia vsurpatur. p.32.

CAPVT 3.

De Parœecorum varijs nominibus.

Concil. Calcedonens. canon explicatus. p.34.

INDEX.

Vnde Tituli ab ordinando Clerico proferendi origo. p.36.
Vt Parœcis, ita & Epiſcopis non licebat auctoritate propria ab vna in aliam commigrare Ecclesiam. p.37.
Veteris huius legis benigna interpretatio ab Epiſcopis Affricanis. p.ibidem.
Quinam Epiſcopi quos Concil. Cabilonenſe, & Capitul.vocant Scotos p.38.
Quid Presbyteri in Parœcijs ordinati, & vnde. p.ibidem.
Presbyteri Cardinales extra Vrbem. p.39.
In Oriente. p.ibidem.
Presbyteri Cardinales, Presbyteri Cathedralis Eccleſiæ. ibidem.
Parœci dicti Presbyteri Cardinales. p.39
Tituli Cardinales etiam in ſuburbijs. p.40
Parœci, Presbyteri ſimpliciter dicti. ibidem & deinceps.
Concilij Sardicenſis Canones primùm Latinè editi. p.41.
Parœci, preſbyteri parochiani vel proprij preſbyteri ibidem.
Senior priſca vox pro Domino vſurpata a Gothis ante Caroli M. tempora & poſtmodum à Francis. p.46.
Sacerdotis nomine Parœci intelligendi. ibidem & ſequens.
Rectores Eccleſiarum appellati Parœci.p. 48.
Archipreſbyteri. ibidem, & ſeq.
Preſbyteri plebium, & plebani. p.49.
Preſbyteri parochenſes, parochitani. ibidem.
Preſbyteri Parochiani diuerſi generis & eorum

discrimen. p.50.51.
Decimæ duplicis generis. p.51.
Clerici Parœciales, locales Diœcesani qui. p.52.
Curiones seu curati nusquam è Reipub. Romanæ ritu pagano.
Parœci Græcis κατακοίλοι p.54.

CAPVT 4.

De Parœciarum & Parœcorum institutione.

Parœciarum institutio in Vrbe, nomine Titulorum. p.56.
Parœciæ auctoritate Pontificis Romani, extra Vrbem institutæ p.59.
Periodeutæ qui Canone Laodiceno. p.ibid.
Parœci, Septuaginta Discipulorum successores. p.60.61.& seq.
Parœci, Hierarchæ, Prælati. p.65.
Ioannes Gerson D.Ioannis in Grauia Lutetiæ Parochus fuit. p.ibidem.
Parochi olim Concilijs interfuerunt; sederunt, sententiam dixerunt, & ipsis Conciliis subscripserunt. p. 66. 67. & seq.
In Conciljs nonnullis Parochi Abbates loco & sede antecesserunt. p.70.72.
Forma Concilij celebrandi. p.70,7173.
Parœciarum Lutetianarum origo prima à B. Dionysio parisiensi Episcopo. p.75.
In Gallia parœciæ. p 78.79.
In Italia parœciæ. pag. 82.
In Affrica Parœciæ. p. 83.
Cyrenensium mirandi mores, & apud eos insignis contemptus auri & argenti. p.86.

In Hiſpania parœciæ. p.86.87.
Loaiſæ Hiſpani lapſus inſignis de tempore Con-
cil. Cæſaraguſtani habiti. p.90.
In Aegypti Alexandria, parœciæ, Arrius hæreti-
cus Parœcus. p.93.
Legata pia pro ſalute animæ etiam poſt mortem,
vſu recepta antè annos mille. p.94.95.
In Oriente Parœciæ. p.95.96.
Cõſtantinopoli cur Parœci dicti κατακοίλοι p.97.
Vnde profecta lex Gallica nulli peregrino & ex-
traneo in Gallia committi poſſe Eccleſiam pa-
rœcialem. p.ibidem.
Explicatus D. Chriſoſtomi locus de Parœco.
pag. 98.
Sepulturæ Catholicorum, & hæreticorum di-
ſcretus locus eſſe debet. pag.ibidem.
In vnaquaque Eccleſia Parœciali olim vnicus
Preſbyter, paroecus. pag.98.99.
Eccleſia paroecialis biceps eſſe nequit.
page.99.100.
Epiſcopi Paroecos nonnunquam in collegium
Preſbyterorum Matricis Eccleſiæ cooptabant,
adſignato ex priore Eccleſia ſtipendio. p.100.
An in Parœcijs aliquis Primiclerus dictus, vt in
Eccleſijs Cathedralibus dubitatio ex Concil.
Emeritenſi. pag.101.102.
Primiclerum & primicerium non videri eundẽ
contra Loaiſam. pag.102.
paroeco Domini appellatio tributa, & quo
pacto. p.104.
De Schola parœciali. pag.104 105.
Scholaſtici Synodis Epiſcoporum adeiant.
pag.105.

CAPVT 5.

Iure Ecclesiastico Orientali & Occidentali Missam audiendam festis diebus.

CAPVT 6.

De Missa, in Parœciali Ecclesia, Dominicis diebus audienda.

Excommunicatio in eos qui absunt à sacris in Ecclesia parœciali, tribus Dominicis diebus continuis. pag.109.110.
Canonis Sardicensis obseruanda interpretatio ex collatione versionum Latinarum. pag.110.
Canon Sardicensis è Concil. Eliberitano antiquissimo petitus. pag.111.
Canonis Sardicensis explicatio a Balsamone. ibidem.
Concil. Trullani Canon eodem sensu. pag.ibid.
Capitulare de Missa diebus Dominicis audienda in Ecclesia parœciali. pag.113.
Priscus ritus supplicationis quæ habetur Dominicis diebus, circa Ecclesiam parœcialem, præeunte parœco, & quid Psallentium in Capitularibus. pag. ibidem.
Scrutinium Romanum quid in Capitularibus. pag. ibidem.
Concilij Nannetensis Capitul. de Missa parœciali. pag.115.
Concilij Rothomagensis prisci Caput eodem sensu. pag.115.116.
Guilielmi Parisiens. Episcopi ante 400 annos decretum ea de re. p.116.

Concilij Cabilonensis Capitul. eodem sensu. pag. 117.
Conciliorum Tolosani, Biterrens. Narbonens. sub D. Ludouico Rege capitula eodem sensu. pag. 119.
Concilij Tolosani Canon, quî ad Missam Paroecialem spectat. pag. 120.
Concilij Senonensis, Francisco Maximo Rege caput de Missa Parœciali. pag. 122.
Concilijs Germanicis tribus, Colon. Treueren. Magunt. idem. pag. 124.
Concil. Mediolanens. Cardinal. Borromæo Seniore Archiepiscopo. pag. 125.
Concil. Rothomag. & Rhemens. Henrico 3. Rege lex lata de Missa Parœciali audienda. pag. 126. 127.
Populum non esse auocandum a publicis & Parœcialibus Missis. pag. 18.
Innocentij 1. P. R. locus de conuentu Populi Romani ad suas Paroecias die Dominico. pag. 130.

Capvt 7.

De causis legis & Præcepti de Missa Parœciali audienda.

Ex munere Populum docendi quod incumbit Parœco, varijsque Concilijs declaratur. pag 133. 134, & sequen.
Ex S S. Cōcilij Tridentini Capite de Verbo Dei audiendo in parœcia. pag. 137.
Collatio S. Sacrificij Missæ cum verbo Deian-

nunciato. pag.137.138. & ſeq.
Quando parœcus Miſſam celebrare tenetur. pag. 139.
In Hiſpania olim plures Eccleſiæ vni Paroeco tributæ, in quibus omnibus, die Dominico, ſacrum faceret. pag.140.
Iure communi qui dicant parochianos teneri Miſſam audire in parochia diebus Dominicis & feſtis. pag.141.
Ex conſuetudine. pa. ibidem.
Eulogiæ ſeu panis benedictus in Miſſa Parœciali apud Gallos olim dari ſolitus. pag.143.
παναγία Græcorum quid apud Curopalatam. pag.144 145.
Ex oblationibus, ad quas parœciani quando & quomodo teneantur. pag.145.149.
Graci feſto paſchatis Parœco ſuo munuſcula deferunt. pag.147.148.
Ex iis ratio petita, quæ denunciare Parœcus, & Populus ſcire tenetur, vt de expoſitis infantibus. pag. 148.149.
Infantes olim exponi ſoliti ad fores Eccleſiæ. pag. 148. 149.
Orientalis Eccleſiæ ſeueta animaduerſio in matres, quæ filios in atrijs Eccleſiæ exponerent. pag. 150.
Bannorum ſeu Denunciationum Matrimonij futuri proclamationes publicæ in Eccleſia Parœciali inuentum Eccleſiæ Gallicanæ. pag.152.
Ex veteri collectione Decretalium auctus locus mutilus in Decretalibus Gregorij 9. ſeu Raimundi. pag.ibidem.

INDEX.

Proni apud Gallos, qualis olim praxis. pag. 154. 155.

Pro Rege orandi mos priscus apud Gallos. pag. 155. 156. & seq.

Apud Hispanos decretum de precibus pro Rege faciendis pag. 158.

Ex extrauagantibus ratio. pag. 159.

Capitularium locus emendatus. pag. 160.

Hispani Episcopi legem vniuersim ferri postulant de Missa Parœciali audienda pag. 162.

Ecclesiæ Parœciales dictæ Basilicæ, & Baptismales Ecclesiæ. pag. 165. 166.

Christianitatis vox pro Baptismo. pag. 167.

Ecclesiæ Parœciales nominantur Oracula. pag. 167. 168.

FINIS.

Approbatio Doctorum.

NOS infrà ſcripti Doctores Theologi in facultate Theologica Pariſienſi, teſtamur perlegiſſe hunc librum qui inſcribitur, De Paroccis & Parocciarum origine, *Auctore D. Ioanne Fileſaco Doctore Sorbonico inſignis Eccleſiæ Pariſienſis Eccleſiaſte eruditiſsimo, in eóque nihil deprehendiſſe quod à Catholica Fide & bonis moribus ſit alienum, quin potiùs illum multam variámque eruditionẽ è media antiquitate Eccleſiaſtica depromptum continere. Quare dignum cenſemus, qui in communem Eccleſiæ vtilitatem typis mandetur.* Pariſiis die 21. *Auguſti*, 1608.


F. BALLEÑOT. Prouiſor Bernarditarum. CL. HENRIOT.

Priuilegium Regis.

PRiuilegio Regio conceſſum Ioanni Fileſaco Theologo Pariſienſi vt cui velit Bibliopolę facultatem faciat huius Libelli, ſecunda editione excudendi, quã conceſſit Bartholomæo Macé Bibliopolæ Pariſienſi, quatenus ſecundam hanc editionem diuendat & diſtrahat. Lutetię Pariſiorum 21. Auguſti 1608.

Errata insigniora.

PAg. 5. Ablata lege Ablatæ. pag. 9. Proecia lege Paroecia. pag. 11. Tosleiano, lege Trosleiano. pag. 12. Aleas, lege Oleas, pag. 16 clesia, lege Ecclesia, ibid. Niolæo, lege Nicoleo. pag 28 ter erratum in voce Cœpiscopi, legendum bis Corepiscopi & tertiò Corepiscopos. pag. 31. Gallicæ, lege Galliciæ, pag 32 voce, lege vocem. pag. 36. Titulanus lege Titulatus, ibidem perseuerat, lege perseueret, ibidem Titul. lege Titulatus pag. 39. Vibenetanus, lege Vrbeuetanus. ibidem dimisisse. lege diuisisse. p. 40. Sardiensi, lege Sardicensi. pag. 43 Omissa hæc, Concilio Emeritensi c. 9. pag. 45. Epannensi, lege Epaunensi. idem erratum alibi pag 48. ebierunt, lege obierint. idem omissa vox, aut fustuauerit. pag 49. omissa, c. olim. pag. 51 sacra, lege Sarta, pag 56. Coepiscopus, lege Corepiscopus, ibidem. Persuador, lege Persuadeor. pag. 59. Coepiscopos, lege Corepiscopos. pag. 61. sustentabitur, lege sustentabatur. pag. 62. Sumini, lege Summi. pag. 66 fastitum, lege fastidium ibidem, secundo, lege secunda. pag. 67. Lerutius, lege Leontius. ibid. Orsima, lege Orsuna. pag. 71 hinc, lege hîc. pag. 73. spectores, lege spectatores. pag. 74. pro 4 repone q. pag. 77 adiecta, lege adfecta. pag. 79. Archidiacano, lege Archidiacono. pag. 91. viuas, lege villas. pag 103. Ascensus lege Assensus. pag. 110. hic, lege sic. pag. 117. Ioannem, lege Ioannam. pag. 124. abstratur, lege abstrahatur. pag. 116. iubant, lege iubeant. pag. 128 Laternensi, lege Lateranensi. pag. 134. viuijs, lege biuijs pag 139. debes, lege debeat. pag. 141 viri, lege vir. pag. 145. superarent, lege supererant. pag 147. quia, lege qua pag. 148. Valensis, lege Vasensis. pag. 150 linea 22. omissum verbum, intelligatur. pag. 151. ad lib. lege al. lib. pag. 152. edcitis lege editis. pag. 164. tertia, lege tertio.





DE PAROECIARVM ORIGINE ET MISSA PAROECIALI AVDIENDA.

CAPVT PRIMVM.

De commutatione nominum Diœcceſeos & Paroeciæ.

DE Parœciarum origine, inſtitutione, Rectoribus & præcepto ad earum Eccleſias, feſtis diebus Plebium concurſu, dicturo, ab ipſius vocis priſca & varia ſignificatione ordiendum mihi peropportunum videtur. Sed quoniam vox illa non vno modo ſcribitur, alij enim *Parochiam*, alij *Paroeciam* malũt, nos illam popularem & corruptam, iſtam verò germanam ſcripturã

esse dicemus. Adnotarunt id nostro sæculo summi viri, Budęus ad l.239. ex Pōpon. lib.singul.enchiridij, Annotat.poster.in Pandect.& Alciatus lib.1.Prætermissorum.Et verò παροικία, vicinia propriè dicitur,& πάροικοι vicini. Vnde in Cod. Iustiniani Tit.de operib.publicis, lib.8.l ædificia, παρεχόμενα appellātur ædificia quæ vicina sunt operibus publicis, ædificijs Principum contigua, vel denique in publica platea erecta, quæ destrui iubentur propter incendij & aliorum casuum periculum: sic nuncupata quasi dixeris iuxta ædificata, viciniter constructa, prope arces & Prætoria vrbana, ædésque Principum. Erunt igitur πάροικοι nostri eiusdem Eccl siæ quæ è vicino adiacet consortes,& παροικία eorum qui eandem Ecclesiam accolunt vicinia. Ac Septuaginta quidē interpretes Psalmo 119. παροικίαν dixerūt,Latina vetus translatio, *incolatum*, quidam,*peregrinationis* verbum vsurparunt, D. Hieron. ex Hebræo, hei mihi quia peregrinatio mea prolongata est. Santes Pagninus, heu mihi quia peregrinatus sum *Mesech.* Fœlix Pratensis, hei mihi qui incola fui *Hetruriæ.* Nescio quo iure iste Mesech

Hetruriam interpretetur. Non eſt hîc neceſſe commemorare quid de ea rè ſenſerit auctor libri de originibus hetrariæ Sed ad rem. Parœciæ legitimam & germanam ſcriptionem euicimus, quam, repudiata altera & ea quidem aliena, retinendam cenſemus, ſi purè loqui velimus: tum quod noſtrorum Gallorum vulgaris vocula ab ipſa Parœciæ deriuata ſit & cum ea perbellè conueniat.

Parœcia, Eccleſiæ naſcentis temporibus & ſequentibus ſeculis aliquot nec paucis, non pro vicinorum incolarum ad aliquā ſacram ædem conſortio, ſed pro Diœceſi, & vt vocant, Epiſcopatu, vſurpta eſt.

Canon decimus quartus Apoſtolorū denūciat Epiſcopo ſuam deſerenti παροικίαν *Paroeciam* ſeu *Dioeceſim* non licere in aliam inſilire. Canone ſequenti tum etiam 34. aliàs 35. idem videre licet. Concilio Nicæno 1. c. 16. extat etiam apud Iulium 1. P. Rom. Epiſtola 2. ad Orientales pro Athanaſio c. 6. Euſebio lib. 3. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ c. 25. Dionyſius Alexandrinæ *Paroeciæ* Epiſcopatum tenuiſſe dicitur c. 31. Polycarpus Epheſinæ *Paroeciæ* Epiſcopus vocatur. Lib.

4. c.22. Dionysius Atheniensis *Paroeciæ* primus Episcopus nuncupatur, & alius Dionysius Episcopus *Paroeciæ* Corinthiorum. Lib. 5. c. 23. Asianæ *Paroeciæ* nuncupātur ipsæ Diœceses Asiæ. Lib. 5. c. 27. *Paroeciæ* Cæsariensis Presbyter.

Concil. Antiochenum sub Iulio 1. P. Rom. c. 9. Episcopum vnumquemque habere suæ *Paroeciæ* potestatem statuit. Citatus finis huius Canonis, vbi vox *Paroeciæ* pro *Dioecesi*, Capitul. Caroli M. veteris editionis, seu Leg. Francic. lib. 1. c. 8. Eodem Concil. Antiocheno c. 3. & repetitur c. 21. cauetur ne Episcopus ab alia *Paroecia*, hoc est Diœcesi in aliam migret.

Crisconius vetus scriptor in Breuiario Canonum ad Liberinum seu Liberium Pontificem, Indicem huius sententiæ profert ex multis c. 16. Vt ab Episcopis aliena *Paroecia* non peruadetur, In Canonibus Apostolor. tit. 14. Antiochē. tit. 21. Cōcil. Calcedon. tit. 5. Item c. 141. De his qui in aliena Parœcia præter conscientiam suorum Episcoporum immolarunt Concil. Antiochen. tit. 2. Tum c. 165. Ad alias *Paroecias*, Eulogias, quæ oblatæ sint, ita legendum, non vt in excu-

ſo Criſconio, Ablata, minimè deſtinandas Concil. Laodicen.tit.14. Vetus hæc verſio Canonis Laodiceni quam profert Criſconius adeò deprauata, vt à vero sēſu & mente Patrum aliena ſit omninò. Gentianus Heruetus, rectius multo è Græco fonte. Ne ſancta inſtar benedictionum, in feſto Paſchę in alias *parochias* tranſmittantur. Benedictiones quas hîc vertit, Græci Eulogias dicunt. Indicant autem Patres Laodiceni ſacroſanctam Euchariſtiam, Gręci in Liturgiis & paſſim alibi, τὰ ἅγια, dignitatis & venerationis ergò nuncupant, non eſſe tranſmittendam inſtar Eulogiarum ſeu rerum aliarum prece aliqua conſecratarum, de quibus alio capite dicemus. Solebant Chriſtiani veteres, diebus ſolemnibus vt pote Paſchatis, Natiuitatis Chriſti & ſimilibus vel myſterij ſignificandi gratia, vel in ſignum etiam communis cuiuſdam lætitiæ, ſibi mutuo Eulogias ſeu placentas aut ſacra eiuſmodi munuſcula miſſitare: Balſamo hîc Latinę Eccleſię ritum ignorans perperam Latinos noſtros ſuggillat: videndus eſt idem Balſamo ad Canonem octuageſimum Cōcilij Trullani. Huiuſce ritus teſtimonium

notum eſt ſatis ex D. Paulino & Augu-ſtino.

Criſconij indiculus idem c. 203. De *Paroeciis* Concil.ſupra tit. 17. Quo titulo intelligimus etiam *Paroecias* nonnunquã Eccleſias matrices ſeu Cathedrales, ſiue *Seniores*, vt noſtri Maiores Galli locuti ſunt, Leg. Francic. lib. 1. c. 142. nominatas fuiſſe. Citantur ab ipſo Criſconio in eam rem, è Canonibus Apoſtolor. tit. 15. Cõcil. Nicæno, tit. 15. & 16. Concil. Laodicen. tit. 20. Concil. Antiochen. tit. 3. Ex decretis Papæ Leonis tit. 38. ex Decretis Papæ Gelaſij tit 23. Concil. Carthaginen. tit. 21. & 22.

Neque verò audiendi ſunt ſi qui putent *Dioeceſes* olim & priſcis illis ſæculis *Paroecias* idcirco vocatas, quoniam adeò exiguus eſſet credentium in aliqua vel Prouincia vel Ciuitate numerus, vt vix *Parœciam* quam nos dicimus ſeu viciniam eorum qui eandem accolunt Eccleſiam, æquaret. Poſt annum trecenteſimum ſexageſimum cum Chriſtiani iam omnia Gentiliũ impleuiſſent, quod de ſuo ſæculo prædicat Tertull. Apologet. c. 37. Vrbes, Inſulas, Caſtella, Municipia, Cõciliabula, Caſtra ipſa, Tribus,

Decurias, Palatiũ, Senatum, Forum, ſola Gentilibus relicta Templa, Diœceſes etiam ipſæ Parœciarum vocabulo donãtur. Concil. Toletano 3. c. 20. alias. 19. coërcentur Epiſcopi qui per *Parochias* ſuas acerbè nimium ſe gerebant. Concil. Tolet. 4. c. 33 & 35. *Diœceſis* & *Parochiæ* vocabula confunduntur, Concil. Hiſpalenſi c. 4. Concilio Sueſſionen. ſub Childerico Rege. Concil. Vernenſi ſub Pipino Rege Caroli M. patre, non vno loco, Concil. Vormatienſ. c. 62. ex Carthaginen. Concil. Tum ex Arelatenſ. & Turonenſ. ſub Carolo.

Capitular. lib 1. c. 70. In veteri editione ſeu Leg. Francic. lib. 1. c. 66. Sed quoniã locus hic plurimum facit ad inſtitutam diſputationem de Miſſa Parœciali, illum extremo capite integrum apponemus, Capitul. eod. lib. c. 9. vet. edit. ſeu Leg. Francicæ, ibid. vbi citantur Concilia duo Antiochenum & Ancyranum c. 17. Legis item Francicæ lib. 1. c. 2. ex Conciliis Antiocheno & Sardicenſi & ex Decretis Innocentij Papæ. Nequis Epiſcopus in alterius *Parochia* ordinationes aliquas audeat efficere vel negotia pera-

Leg.Frāc.lib.1.c.40.Lib.2.c.4.quæ ſunt Capitula Ludouici Pij & Lotharij filij Impp. Capitul. lib.5.c. 84. 172. Capitul. lib.6.c.57.86.104. Capitul. lib.7. c.229. In additionibus non vno loco. Addam illud Capitul.lib.7.c.94.ſtatuimus vt ſingulis annis vnuſquiſque Epiſcopus *Parochiam* ſuam ſollicitè circumeat. Capitul. lib.4.c.15. & citatur hic locus à Gratiano 17. q. 4.c.omnes 2. ex Concilio Triburienſi c. 5. perperam quidem, nam è Capitular.loco citato deſumptus eſt.

Quin & Legis Francicæ lib.5. tit. 23. §.2. quæ ſunt Capitula Pipini Regis Italiæ, Ludouici Pij F. *Diœceſis* vocatur Parœcia, nec nō in additione Legum Guidonis Regis Roman. ſub nepotibus Caroli M.tit.5.§.1.

Ad tempora nepotum Caroli M. ventum eſt quibus vſitata vox Parœcię pro Diœceſi, quin & iſta perdurauit appellatio ad Arnulphum vſque Imp. vt videre eſt Concilio Maguntiaco c. 14. addo & annis aliquot poſtea. Cōcil.Rothomagē c.6. Non liceat Epiſcopo principalem Cathedram ſuæ *Parochiæ* negligere, Cōcil. Remenſi ſub Eugenio. 3. c. 10. vel 11. Innocentius 2. P. Rom. in Synod.

Rom.c.8.

Hactenus Parochia seu Prœcia appellata est ipsa Diœcesis, nec vno aut altero sæculo, nec apud Gentem vnam, nunc videamus vicissim, *Parœciam*, quam vocamus, Diœcesis nomine aliquando donatam fuisse.

Concilio Africano c. 2. vox *Diœcesis* pro Parœcia vsurpata, cum dicunt Patres opportere eum qui vniuersis fratribus ac toti Cōcilio inhæserit, non solum sua iure integro sed & Diœceses possidere. Codex canonum, legit. *Non solum suam integrè* &. Cōcil. Toletan. 12. c. 4. ex Carthaginensi. 2. Cōcilio, quod Africæ secūdum hoc loco nuncupatur, titulo 5. citāt Patres ista. Vt dioecesis quæ Episcopum nunquam habuit nō habeat: Fœlix Episcopus silensitanus dixit, Etiam si hoc placet sanctitati vestræ insinuo vt Dioeceses, quæ numquam Episcopos habuerunt, non habeant.

Concilio Agathensi in Narbonensi Gallia c. 54. Presbyter dum *Diœcesim* tenet, de his quæ emerit ad Ecclesiæ nomē scripturam faciat, aut ab eius quam tenet Ecclesiæ ordinatione discedat. Pro, tenet, alij legūt, habet. Capitul. lib. 7. c. 49.

Nullus ſacerdos in alterius ciuitate vel *Diœceſi*, Pœnitentem vel ſub manu poſitum ſacerdotis, vel qui reconciliatum ſe eſſe dixerit, ſine cõſenſu & literis Epiſcopi, vel Presbiteri in Parochia, Presbyter aut Epiſcopus in Ciuitate ſuſcipiat. Vox illa, *Diœceſis*, vtrumque hoc loco complecti videtur & Diœceſim proprio ſignificatu & Parœciam particularem, quod ſatis indicat vel Capitulum ipſum, quo & Epiſcopus & Presbyter in Parochia ſeu Parochianus compelluntur.

Concilium Aurelianenſe 3. c. 18. De his verò clericorũ perſonis, quæ de Ciuitatenſis Eccleſiæ officio, monaſteria, *Diœceſes* vel Baſilicas, in quibuſcumque locis poſitas, id eſt ſiue in territorijs, ſiue in ipſis Ciuitatibus, ſuſcipiunt ordinandas, in poteſtate ſit Epiſcopi, ſi de eo quod ante de Eccleſiaſtico munere habebant, eos aliquid aut nihil exinde habere voluerit, quia vnicuique facultas ſuſcepti Monaſterij, *Dioceſis*, vel Baſilicæ debet plena ratione ſufficere.

Capitul. lib. 7. c. 175, ſtatutum eſt vt facultates Eccleſiæ nec non *Diœceſes* quæ ab aliquibus poſſidentur ſacerdotibus,

iure ſibi vendicent, quod tricennalis lex concluſit & vltra triginta annos nulli liceat propterea id appellare quod legum tempus excluſit. Aliqua parte hiulcum eſt caput quod ſanandum eſt ex Concilio Toſleiano.c 6. & Vormatienſi c.49.è quibus deſumptum eſſe teſtatur eruditiſſimus noſtri æui Antonius Auguſtinus, cui tantum fidei adhibẽdum puto quântum ipſi Fidei. Nec enim Troſleianum videre licuit, quod in excuſis Concilijs minimè reperitur, & in Vormatienſi edito, caput hoc deſideratur. Quinetiã ego Caput iſtud repeti poſſe cenſerem ex Gelaſij P. Rom. Epiſtola ad Siculos c. 2.ijs verbis. Illud etiam annecti placuit vt ſi, quod abſit, facultates Eccleſiæ necnon & *Diœceſes*, quæ ab aliquibus poſſidentur Epiſcopis iure ſibi vendicent quod tricẽnalis lex concluſit, quia & filiorum noſtrorum Principum ita emanauit auctoritas vt vltra triginta annos nulli liceat pro eo appellare, quod legum tempus excluſit. Sic ex integro Caput eiuſmodi prolatum è Capitularibus licebit reſtituere. Similis extat locus ex Ioanne 8. P. Rom. apud Iuonem parte 3. c.96. vbi pro *Diœceſi* vox *Parochiæ* repoſita eſt. Cõ-

cilij etiam Toletani 4. Canon 33. cum ſuperiori Capitular. valde congruit, quo *Diœceſim* & *Parœciam* vſitata notione pro eodem vſurpari videmus. Eſt autem huiuſmodi. Quicumque Epiſcopus alterius Epiſcopi *Diœceſim* per triginta annos ſine aliqua interpellatione poſſederit, quia ſecũdum ius legis eius videtur eſſe *Diœceſis*, admittenda non eſt contra eum actio repoſcendi: ſed hoc intra vnam Parochiã, extra verò nullo modo nè dum *Diœceſis* defenditur Prouinciarum termini confundantur. Eodem ſenſu, Canone ſequẽti, ſicut *Diœceſim* alienam tricennalis poſſeſſio tollit.

Ita capitulo 36. Epiſcopum per cunctas Dioceſes Parochiaſque ſuas per ſingulos annos ire oportet. Porro eiuſdem controuerſiæ de qua paulò ante inter Fulgẽtium Aſtigitanum & Honorium Cordubenſem Epiſcopos, de Parochia Baſilicæ, quam horum quilibet ſibi vendicabat, mentio habetur Concil. Hiſpalenſi. c. 2. Concil. Emeritenſi. c. 8.

Superiori Canone nonnihil occurrit ſubobſcuri quod illuſtrare non pigebit, nec extra aleas. Parochiam ex Concilijs ipſis ad finem Canonis exſcripſimus &

vocẽ iſtam habet Iuo part.3.c.131. habẽt & libri veteres. Gratianus verò 16. q.3.c. Quicunque Epiſcopus, legit, Prouinciã. Neque vero quiſquam exiſtimet Diœceſim hîc proprio ſignificatu intelligi, nec enim de integra Diœceſi alicuius Epiſcopi, ab alio Epiſcopo totis triginta annis, ſine vlla obnũciatione vſurpata, hoc loco agi credendum eſt, ſed de Parochia peculiari ſeu Eccleſia Parochiali quam quis ſibi vendicauerit. Facit ad id auctor Gloſſæ apud Gratianum, qui Prouinciam, vt legit Gratianus, Diœceſim exponit. Itaque hoc vno Canone Diœceſim intra vnam Parochiam habeamus, id eſt Diœceſim pro Parœcia particulari, & Parœciam pro Diœceſi integra, vocum & ſignificatorum commutatione.

Obiter illud monebo, ſi Prouinciæ vocem retinuerimus vt eſt apud Gratianũ, videri Epiſcopum planè eundem cum Metropolita. Nam vnî Prouinciæ præeſt Metropolita, in qua quidem Prouincia plures conſtitui debent Epiſcopi vt præcepit Anacletus Epiſtola 2. Leo. 1. Epiſtola 82. in fine ad Anaſtaſium Epiſcopum, Concil. Calcedonenſe c. 9. Concil. Carthaginenſi apud Græcos c. 17. Tole-

tan. 11. c. 3. vel 10. ſecundum Antonium Auguſtinum. Quanquam non ignorem Prouincias ipſas quibus prȩerant Metropolitani Diœceſes aliquando vocatas fuiſſe. Ita enim Pŏticæ, Aſianæ, & Thraciæ *Diœceſes* dicuntur Concil. Calcedon. c. 28. Contra verò, pro ambitione Græca plures Metropolitani in eadem Prouincia conſtituti ſunt: quod in Nicæno & Nicomedienſi Metropolitanis in vna eadémq; Prouincia ſatis apparet, vnde magna inter eos exorta eſt contentio, cuius plenam hiſtoriam habes Lib. 4. Synodalium ſententiarum Græcarum in 2. Synodalium Nicolai 2. Patriarchæ Cŏſtantinopolitani ad Alexium Comnenum Imp. Conſtantinop. Aliquādo etiā vocantur Parœciæ ipſorum Metropolitarum Diœceſes, Calixtus P. Rom. Epiſtola 2. ad Epiſcopos Galliæ, Iuo parte 5. c. 101.

Reuertor ad propoſitum de Diœceſi pro Parœcia noſtro more, Capitul. lib. 7. c. 360. Placuit vt vnuſquiſque Epiſcopus per ſingulos annos cunctas *Diœceſes* Parochiáſq; ſuas circuire nŏ negligat. Tranſſumptum hoc è Concil. Toletano 4. c. 35. Concilio Braccarenſi 2. c. 2. Placuit vt

nullus Episcoporum per suas *Dioeceses* ambulans, præter honorem Cathedræ suæ id est solidos duos, aliquid aliud per Ecclesias tollat. Iuo part. 3 c. 136 ex Gelasio Papa. Verum vt à nostris Gallis initium duximus in voce Dioecescos sumpta pro Parœcia suo vulgari significatu, ita & ex nostris locum hunc claudemus. Concil. Aurelianens. 4. c. 33. Si quis in agro suo aut habet aut postulat habere *Diœcesim*, primùm & terras ei deputet sufficienter & Clericos qui ibidem sua officia impleant, vt sacratis locis reuerentia condigna tribuatur. Non dubium quin Diœcesis pro Paroecia, qui enim Dioecesim hîc propriè intelligendam censeret, illum non satis sapere existimarem, quis enim Diœcesim propriè dictam in agro constitui audiuit? Titulus Canonis in indice est eiusmodi, De facietibus in agro suo Oratorium vt Clericis sufficientem ibidem facultatem prouideant: Nec quis Oratorium hîc priuatum somniet, sequentia enim reclamant, & Ecclesiam aliquam Parœcialem non obscurè designant.

Adijciam illud auctarij vice, Diœcesim pro vniuersa & Catholica Christi Ecclesia, cuius Caput & Radix est Romana

clesia, apud Veteres vsurpari nonnunquam. Fidem facit Concilium Arelatense primũ sub S. Syluestro 1 P. Rom. Constantino. M. imperante, celebratum & ab incomparabili viro nec vnquam satis laudato P. Pithœo editum, nec enim in excusis Conciliorum tomis reperitur tam integrũ. Ita verò Patres Arelatensis istius Synodi ad Syluestrum scribunt. Placuit etiam antequam ante qui maiores *Diœceseos* tenes per te potissimum omnibus insinuari. Locus adeo deprauatus vt citius Heracliti versum intelligas, nos sic restituere conati sumus. Placuit etiam Antiquam qui maioris *Diœceseos* tenes per te potissimum omnibus insinuari. *Antiquam* dicunt pro Roma, nouo tunc temporis discrimine Nouæ Romæ siue Constantinopoleos, quam ædificari & absolui tum curabat Constantinus. Diœcesim maiorem appellant numero vnitatis vt Papa vocatur Primas Diœceseos Calcedonens. Cõcil. c. 9. interprete Nioleo 1. P. Rom. Epistola ad Michaëlem Imp. Bizantinũ: ac meritò quidem cùm Ecclesia Romana cæterarum omnium Parens Diœcesim maiorem cęteris omnibus idcirco in se complecti dicatur, quandoquidem in eã

vt

vt digiti in manum, omnes quæ vndique toto terrarum Orbe ſparſę ſunt Eccleſiæ conueniant, quemadmodum ſcribit Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Parmenian. Attamen *Diœceſeos*, vocem Iulianus anteceſſor in Nouellis ſemper *Regionem* vertit, & Patriarcha Regionis paſſim dicitur. Plura de huius vocabuli ſignificatione habes commentario noſtro de ſacra Epiſcoporum auctoritate c. 9. §. 1.

Aduerte interim lector Orthodoxe Epiſcopos Gallicanos ab vniuerſalis Eccleſiæ ſummo Paſtore Epiſcopo Romano poſtulare Concilij huius decreta firmari & vim vſúmq; apud omnes obtinere.

CAPVT SECVNDVM.

Paroeciæ, vulgari ſignificato, appellationes variæ.

PAROECIAE ſiue vt vulgus loquitur Parochiæ, propria ſignificatione, nomenclatura varia eſt & multiplex. Vocabulum ipſum antiquiſſimum eſſe ſuperiori capite & Græcis & Latinis Concilijs expoſuimus, quanquam non vna no-

tione & pluribus paulò poſt dicemus. Pro vicinis eiuſdem Eccleſiæ accolis Cõcilio Calcedonenſi c.8.vſurpari nonnulli volunt, ea quidem verſione quæ extat apud Iuonem part.6.c.358.Clerici in Parœcijs, Monaſterijs aut Martyrijs conſtituti Epiſcopo ſubiecti ſint. Verũ enimuero c.359. ſequente apud eundem Iuonem, ſubiungitur eiuſdem Canonis alia verſio Latina, quæ ſic habet. Clerici qui pauperum diſpoſitioni præſunt &c. Et ea quidem aptiſſimè ad cõtextum Græcũ: legendum enim in priori verſione Ptochijs non Parochijs. At Librarius ſupina quadam imperitia cum vocem Ptochijs non intelligeret, diuinans pro ſuo afflatu repoſuit Parochijs. Græcè ſic conceptæ voces οἱ κληρικοὶ τῶν πτωχείων Ac Criſconius quidem legit Ptochijs, in Breuiario Canonum tit. 197. Synodus Francica ſub Carlomanno & refertur Capitul. lib. 5. c. 2. neſcio an ad Canonem iſtum Calcedonenſem reſpexerit, & quidem veriſimile eſt, *Parochiæ* vocẽ è veteri quadam non proba verſione Latina retinuit, his verbis. Decreuimus quoque iuxta ſanctorum Canones, vt vnuſquiſque Presbyter in *Parochia* habitans Epi-

ſcopo ſubiectus ſit; Synodus ſic legit, Epiſcopo illi ſubiectus ſit in cuius *Parochia* habitat. Quo loco illud quod ſequitur obſeruari velim quod ad rem facit vel maximè, ſi quidē cauetur vt quiuis Prés-byter in *Parochia* habitās, ſemper in Quadrageſima rationem & ordinem miniſterij ſui, ſiue de Baptiſmo, ſiue de fide Catholica, ſiue de precibus & ordine Miſſarum Epiſcopo reddat & oſtēdat. At quis Presbyter de ijs rationem iure reddere debeat niſi qui Populum ſuæ fidei commiſſum & ſibi ſubiectum habeat, quem nos Parœcum ſeu Parochum dicimus?

Sed Paroeciæ vocem notiori ſignificatione apud Veteres inquiramus, tum ad alia nomina progrediemur.

Parœciæ ſeu Parochiæ qualis eſt apud nos in vſu meminit Innocētius 1. P. Rom. Epiſtola ad Florentium Tiburtinum Epiſcopum. Concil. Carthaginenſe 4. c. 102. Leo 1 P. Rom. Epiſtola 85. ad Epiſcopos Affricæ c. 2. Capite de Inſtitutione Parœciarum integra proferemus loca. Concil. Capentoractenſe ſub Leone M. P. R.

Concil. Arelatenſe ſub Carolo M. c. 10. De prædicatione prouidimus pro ædifi-

catione omnium Ecclesiarum & pro vtilitate totius Populi, vt non solum in Ciuitatibus, sed etiam in omnibus *Parochijs* Presbyteri ad Populum verbum faciant, & bene viuere studeant, & populo sibi commisso prædicare non negligant. Si quis hîc Parœciam seu Parochiam non vulgari significatione accipi dixerit, is mihi lucem in Sole quærere videbitur, certè quod sequitur de Populo illis Presbyteris commisso satis indicat. Sumptus est autem Canon hic Arelatensis è Concilio Vasensi seu Vasionensi 2. sub Leone 1. P. Rom. c. 2. quo Patres non solum in Ciuitatibus, sed etiam in omnibus *Parochiis* verbum faciendi dant Presbyteris potestatem.

Sed apertiora demus testimonia & è nostro Iure Canonico Gallicano Capitular. lib. 1. c. 71. satis clarè: sed multo clarius c. 152. In veteri editione seu Leg. Franc. lib. 1. c. 146. Vt Presbyteri per *Parochias* suas fœminis prædicent vt linteamina altaribus præparēt. c. 153. Leg. Frãc. lib. 1. c. 147. Vt nullus Presbyter alterius *Parochianum* nisi in itinere fuerit, vel placitum ibi habuerit, ad Missam recipiat. Capitul. c. 154. sequenti, Leg. Frànc. c. 148.

Vt nullus Presbyter in alterius *Parochia* Miſſam cantare præſumat, niſi in itinere fuerit.

Capitul.lib.6.c.164. vt nullus Epiſcoporum vel Presbyterorum *Parochiam* alterius inuadat,ſed contentus ſit gubernatione creditæ ſibi *Plebis*. Parochia hîc duplici ſenſu pro Diœceſi & Parochia vulgo nota. Capitular. lib.7. c.32. ſit vnuſquiſque Sacerdos conceſſis ſibi contentus limitibus nec in alterius *Parochia* quidquam pręſumat. c. 22. eiuſdem libri idem expreſſum,nec tam expreſſum quàm illo Capitulo ſuperiore. c.163. ſtatutum eſt vt omnes Presbyteri *Parochiæ*, ad ciuitatem per turmas & per hebdomadas ab Epiſcopo ſibi conſtitutas conueniant, diſcendi gratia, ita vt aliqua pars in *Parochiis* Presbyterorum remaneat, ne populi & Eccleſiæ Dei abſque officio ſint. c.193. ne *Parochias* cuiuſlibet Epiſcopi alterius Ciuitatis Epiſcopus canonum temerator inuadat. c.236. Si in alicuius Presbyteri *Parochia* infideles aut faculas accenderint aut arbores aut ſaxa venerãtur, ſi hoc eruere neglexerit,ſacrilegij reum eſſe cognoſcat: Dominus aut ordinator Rei ipſius ſi admonitus

hoc emẽdare noluerit communione priuetur c.360. Placuit vt vnuſquiſque Epiſcopus per ſingulos annos cunctas Diœceſes *Parochiáſque* ſuas circuire non negligat.

Concilio Rothomagenſi c. 11. apud Iuonem part.5. c. 196. Cum Epiſcopus ſuam Diœceſim circuit Archidiaconus vel Archipresbyter eum præire debet vno aut duobus diebus ad *Parœcias* quas viſitaturus eſt, & conuocata Plebe annũciare debet proprij Paſtoris aduentum. Concilio Triburienſi c. 26. Relata eſt coram Sancta Synodo, querimonia Plebium, eo quòd ſint quidam Epiſcopi nolentes ad prædicandum vel ad confirmãdum ſuas per annum *Parœcias* circuire. Concilio Ticinenſi ſub Ludouico 2. Imp. c. 17. vt notat Anton. Auguſtin. nam in excuſis Concilijs nulli numeri Canonibus iſtis apponuntur. Per ſingulas *Parochias*, eas feſtiuitates Populus obſeruare ſtudeat quas proprius eorum Epiſcopus venerari prædicauerit. Elegans eſt commonitorium Theodulphi Aurelianenſis Epiſcopi ſub Ludouico Pio Imp. vbi Parœciæ ſeu Parochiæ noſtræ vox occurrit nõn ſemel.

Parœcia siue Parochia nonnunquam etiam vocatur Ecclesia extra Ciuitatem constructa, vnde Concilio Agathensi c. 22. *Ciuitatenses* seu DIOCÆSANI Presbyteri vocantur, velut distincti à Presbyteris Parochianis qui extra Ciuitatem degunt.

Quos Cõciliũ Antiochenum c. 9. Presbyteros in pagis, seu in agris, nominat, vt habet Latina ĩterpretatio, Balsamo *Protopapas* appellare insuper videtur. Scio Presbyteros forẽses memorari Capitul. lib. 6. 222. & Concilium Maguntinum eosdem innuit c. 45. ijs verbis. Dignum est vt filios suos donent ad scholam siue ad monasteria siue foras Presbyteris. Repetitum Capitul. lib. 5. c. 95. Et quidẽ in Synodo Romana sub LEONE 4. c. 39. forẽsium Presbyterorum mentio habetur.

Concil. Toletano 3. c. 20. Clerici alij locales alij Diœcesani appellantur. Idem habet Concil. Aurelianens. 3. c. 18. Cõcil. Agathẽs. c. 21. statuunt Patres vt nulli nisi in Ciuitatibus aut Parochijs solennes & festos dies agant. Quod extat etiam Concil. Aurelianen. 5. c. 8. vbi aperta est Ciuitatis & Parochiarum distinctio, quam etiam confirmat Concilium Aruernense c. 14. apud Burchardum lib. 2. c. 231. &

Iuonem parte 6.c.306. Si quis ex Presbyteris aut Diaconis qui neque in Ciuitate neque in Parochijs Canonicus esse dignoscitur, sed in villulis habitans, in Oratorio sanctè deseruiens, celebret diuina mysteria, festiuitates præcipuas, Domini Natale, Pascha, Pẽtecosten, & si quæ principales sunt festiuitates reliquæ, nullatenus alibi nisi cum Episcopo suo in Ciuitate teneat. In isto interim Canone, Canonicum velim intelligas, non qualem hoc tempore dicimus, sed Presbyterum ad aliquã Ecclesiam seu Titulum vt mox dicemus ordinatum. Quamquam & rectius is mihi dicatur hoc loco *Canonicus* qui in canone & Matricula Ecclesiæ alicuius sit descriptus, è qua stipendium habeat: quod fusius explicauimus Commentario nostro de Sacra Episcoporum auctoritate c.13. Interim moneo, hîc Diaconos nonnullos in villulis habitantes describi, vt secernerentur ab alijs Diaconis qui Vrbici vocantur Concil. Arelatẽsi 1. c 1. Paulò antea Cõcil. Aurelianensis Canonem decimum & Concil. Vasensis secundum citauimus, quibus præter Ciuitates, Parochias nominari audiuimus, quas vulgari nostra locutione interpre-

tandas diximus. Si quis Parœcias ruſticanas ſiue in oppidis & pagis poſitas exponere velit, per me licebit. Concilium Troſleianum c.6. diſertè Parochias ruſticanas nominat, apud Anton. Auguſtinum. Ac ne quis putet apud ſolos Latinos Parochias ruſticanas inſtitutas eſſe, apud Græcos ſimiles extitiſſe demõſtrat Cõcil. Calcedonenſ. c.17. ex puriore verſione Gentiani Herueti. Quę ſunt in vnaquaque Prouincia, alij vertunt, ſingularum Eccleſiarum, rurales vicinaſuè Parochias, Concilium Trullanum c. 25. ex verſione Gẽtiani Herueti habet. Agreſtes & quæ ſunt in regione, Parœcias. Latina verſio Con. Calcedonen. quam ſequitur Gratianus legit, Paroecias ruſticanas ſeu in poſſeſſionibus. Dionyſij Exigui verſio eſt eiuſmodi. Singularũ Eccleſiarum ruſticas Parochias vel poſſeſſiones manere inconcuſſas & c. Iuo part.3. c. 106. addit, Poſſeſſiones, firmas & inconcuſſas manere apud eos qui illas tenent Epiſcopos, & maximè ſi triginta annorum tempore eas ſine vi detinentes adminiſtrauerint. Exiſtimarem eo ſenſu Parochianas vel Parochiales Eccleſias dici Concilio Toletano 3. c.4. & Concilio Toletano 9. c.5.

Parœcia vocatur *Titulus* non modo Romæ, Vnde Onuphrio Panuinio Parochia idem eſt quod Titulus, ſcilicet Sacra ædes vbi animarum cura à Presbyteris gereretur, qui Parochi dicti ſunt id eſt Curati, de qua re, poſtea dicemus: ſed etiã alijs in locis, eadem vox vſurpata.

Concilium Turonenſe ſub Carolo M. c.14. De *Titulo* minori ad maiorem migrare nulli Presbytero licitum ſit, ſed in eo permaneat ad quem ordinatus eſt. Capitul. lib. 5. c. 108. Presbyteri qui in *Titulis* conſecrantur ſecundum Canones antequam ordinentur, promiſſionem ſtabilitatis loci illius faciant. Capitul. lib. 7. c. 178. Excommunicantur Presbyteri qui de Eccleſijs ad Eccleſias migrant, & ſuos *Titulos* abſque licentia & conſenſu Epiſcopi dimittunt. Concilio Ticinenſi ſub Ludouico 2. *Tituli* ſine vlla dubitatione appellantur ipſæ Parœciæ, his verbis. Tollenda eſt enim praua omnino conſuetudo, quæ in quibuſdam locis oriri cœpit, quia nonnulli Archipresbyteri vel aliorum *Titulorum* cuſtodes, fruges vel aliarũ Eccleſiarum redditus ad proprias domos abducunt.

Plebem vel *Plebes* aliquando Parœciam

ipſam vocarunt Concil. Affrican c. 87. & Mileuitanum c. 21. Placuit vt quicunque Epiſcopi *Plebes* quas ad ſuam Cathedram æſtimant pertinere, non ita repetãt &c. *Plebes* pro Parœcijs peculiaribus intelligi docet titulus huius Canonis apud Iuonem part. 5. c. 177. Concilium Pariſienſe lib. 1. c. 25. Comperimus quorundam Epiſcoporum miniſtros non ſolum in Presbyteris, ſed etiam in *Plebibus* Parochiæ ſuæ, id eſt Dioceſeos, auaritiam potius exercere &c. c. 49. Omnes in commune ſtatuimus decernentes, vt ſingulæ Baſilicæ, *Plebes* & res quibus conſiſtere poſſint habentes, ſingulos habeant Presbyteros. Si verò *Plebes* habuerint, & rebus quibus conſiſtere poſſint caruerint. Sic legendum, non, *Cauerint*, vt in excuſis Concilijs. Concilio Regienſi in Gallia Narbonenſi. c. 3. *Plebis* nomine Paroecia aliqua deſignatur provt apud nos vſurpatur, & certè hoc capite illud obſeruatione digniſſimum extat, quod ſiquis inter hæreticos vel Sciſmaticos Epiſcopus ordinatus fuerit, vbi ad Eccleſiam Catholicam redierit, iam Epiſcopali munere & officio non fungatur amplius, ſed *Plebem* ſeu Paroeciam aliquam regen-

dam ſuſcipiat, nomenque Coepiſcopi retineat. Locum adſcribam integrum quia & dignus valde mihi videtur, & è Concilio Nicæno 1. Sanctiſſimo petitus, in excuſis Concilijs deprauatus eſt aliquot vocabulis, reſtituã vt potero. Quod ergo in quibuſdam ſciſmaticis magis quàm hæreticis recipiendis Nicænum Concilium ſtatuit à ſingulis per territoria ſua, hoc etiam præſens Conuentus in hoc ſtatuit ab omnibus ſeruari debere, id eſt vt cuicunque de fratribus tale aliquid charitatis conſilia dictauerint, liceat ei in vnam Parochiarum ſuarum Eccleſiam concedere, in qua aut Coepiſcopi nomine vt idem Canon loquitur, aut peregrina, vt aiunt, communione foueatur. Neſcio an loc⁹ hic nonnullos in eã induxerit ſentẽtiã vt Coepiſcopos olim nõ alios fuiſſe credãt quã Parœcos c. 4. ſequẽti Eccleſiarũ *Plebes* pro Parœcijs vt loquimur vſurpantur. Cõcil. Nannetenſe c. 4. Cum Sacerdos viderit aliquem infirmari in ſua *Plebe*. Ex Concilio Carthaginenſi ſub S. Grato tit. 6. & Concilio Nazarenſi: idem teſtatur Fulgentius Ferrandus Carthaginenſis in Breuiatione Canonum c. 126. 127. & alijs locis. Beda de

remedijs peccatorum c. 13. Leo M. P. Rom. Epiſtola 85.c.2.ad Epiſcopos Affricę maiores *Plebes* pro Diœceſi, minores pro *Parochia* dixit, ſed quia vocabulum frequentiſſimum extat in Concilijs, plura non dicam.

Quemadmodum *Plebis* nomine ſæpius Veteres Parochiam noſtro more appellant, ita & *Poſſeſsio* vocatur. D. Gregor. lib.11.Epiſtola 32.c. 34. ſcribit Coſmam Monachum in *Poſſeſsione* quæ Iuliana dicitur, ordinatum fuiſſe presbyterum. Meminere & vocis & rei Impp. Arcadius & Honorius, A A .ad Eutychianum PP. Cod.Theod.lib.16. tit 2.de Epiſcop.Eccleſ. & cler.l.33.Eccleſijs, quæ in Poſſeſſionibus, vt adſolet, diuerſorum, vicis etiam vel quibuslibet locis ſint conſtitutę, Clerici nō ex alia Poſſeſſione vel vico, ſed ex eo vbi Eccleſiam eſſe conſtiterit eatenus ordinentur vt propriæ capitationis onus ac ſarcinam recognoſcant, ita vt pro magnitudine vel celebritate vniuſcuiuſque vici, Eccleſijs certus, iudicio Epiſcopi, Clericorum numerus ordinetur. *Territorium* etiam nuncupatur ipſa Parœcia, Cōcil. Vaſenſ.c.3. Vormatienſi c.60. *Territorij* conuentus Concil. Toletano

4.c.34. Ac poſteriora quidem illa vocabula Poſſeſſionis & Territorii ad Ruſticanas Eccleſias pertinere non dubium eſt, quod & videre licet Concil. Aurelianenſi 3.c.18.

Vbi monaſteria vel Dioeceſes, ideſt, Paroeciæ, & Baſilicæ vel in *Territoriis* vel in ciuitatibus conſtructæ dicuntur. Interim *Baſilicæ* vocem hoc loco Eccleſias ſingulares, & ſine populo, qui ad eam ſpectet, intelligi arbitror; quas Oratoria nominari Concilia indicant. Et aperta meæ opinationis ratio, cum Eccleſiarum ea diſtributio ſignificetur, vt primo loco *Diœceſes* propria & vulgari locutione cōſtituantur, deinde *Diœceſes* minores, quæ ſunt Parœciæ noſtræ, tum Monaſteria, poſtremo *Baſilicæ*, ſeu Oratoria. Quanquam & Baſilicæ vocabulum in priſca Eccleſia generatim quamlibet Eccleſiā ſignificabat, at poſtea factum vt præſertim ad Eccleſiam matricem, quæ hoc Canone Aurelianenſi Ciuitatenſis Eccleſia nuncupatur; pertineat, non aliter atque vox illa *Dominicum* quæ Diuo Cypriano lib. de operibus & eleemoſinis omnem Eccleſiam complectitur, attamen cuiuſdam diſcriminis ergò *Domini-*

cum κυριακον Græcis pro ecclesia Ciuitatis in qua sedes sit Episcopalis vsurpatur, vt apparet ex Cōcilio Neocæsariensi c. 13. & Balsamone ad hunc locum, atque Itali vulgari lingua, eo sensu, vocem illam licet corruptam & contractam retinuerũt. *Basilicæ* etiam nomén Parœciam nostro more designat Concil. Parisiensi. lib.1. c.49. Omnes in commune statuimus decernentes vt singulæ Basilicæ, Plebes & res quibus cōsistere possint habẽtes, singulos habeãt Presbyteros, Cō. Hispalensi c. 2. Parochia *Basilicæ* memoratur Concil. Toletan.4.c.35. Episcopum per cunctas Diœceses, Parochiasque suas per singulos annos ire oportet & exquirat quo vnaquaque *Basilica* in reparatione sui indigeat. Concil. Toletan. 7. c.4. Inter cætera denique quæ communi cōsensu nos conferre competenter oportuit, querimonias etiam Parochialium Presbyterorum Gallicæ prouinciæ solertissimè decernere decuit, quas contra Pontificum suorum rapacitates, necessitas vt comperimus tandem compulit, in publicum examen deferre. Hi enim Pontifices, pene vsque ad exinanitionem extremæ virtutis quasdam *Basilicas* per-

duxiſſe probantur. Attamen *Baſilicæ* voce generali ambitu omnes omninò Eccleſias complecti, videtur Capitulum hoc indicare, quod antea notauimus, nam ſub finem eiuſdem Capituli Monaſteriorum Baſilicæ memorantur.

Non aliter *Eccleſiæ* vox, quæ omnium maximè vniuerſa, nonnunquam tamen vni Parœciæ ſignificandæ adhibetur, vt paſſim videre licet in Cōciliis & Scriptoribus mediæ ætatis. Vnum aut alterum locum proferam. Theodulphus Aurelianenſis, Epiſtola ad Presbyteros ſeu Paroecos Aurelianenſes numer. 16. Si quis presbyter inuentus fuerit alicui Clerico aut Laico munera dare aut dediſſe vt *Eccleſiam* alterius Presbyteri ſurripiat, ſciat ſe pro hac rapina & ſæua cupiditate, aut gradum amiſſurum aut in carceris ærumna longo tempore pœnitentiam agendo detinendum. Eccleſiam hîc Parœcialē deſignari mihi facilè perſuadeo, ex ſimili loco Capitul. lib. 1. c. 90. Statutum eſt vt ſine auctoritate vel conſenſu Epiſcoporum Presbyteri in quibuſlibet *Eccleſijs* nec conſtituantur nec expellantur. Et ſi Laici Clericos probabilis vitæ & doctrinæ Epiſcopis conſecrandos ſuiſ-

que

que in *Ecclesijs* constituendos obtulerint, nulla qualibet occasione eos reijciant. Idem Concil. Vormat. c. 49. tum Maguntin. sub Rabano. c. 12. & passim aliis locis. Concilio Nannetensi. c. 46. apud Burchard. lib. 3. c. 229. Iuonem part. 3. c. 269. Si quilibet Presbyterorũ defunctus fuerit, vicinus Presbyter apud sæcularem Seniorem nulla precatione vel aliquo xenio Ecclesiam illam obtineat, quia titulus per se cõstans antea extitit, sed neque Capellam sine consultũ Episcopi. Disertè *Ecclesiá* hoc loco distincta à Capella, non alia quàm Paroecialis quæ nonnisi Patroni alicuius sæcularis beneficio & consensu, ab Episcopo concedi potest. *Ecclesiæ Parochianæ* vocãtur Concil. Toletano 3. c. 4. quanquam Parochianæ Dicantur quia in Parochia hoc est dioceſi constitutæ.

CAPVT TERTIVM.

De Paræcorum varijs nominibus.

ANTEQVAM Parœcorum seu Parochorum nostrorum varia nomi-

na recenſeamus, cum ſuperiori Capite Tituli mentionem fecerimus & maximã illud afferat lucem inueſtigandæ Parœciarum ſeu Parochiaruminſtitutioni,operæpretium duximus, exponere quid ſibi velint Presbyteri in Parochiis ſeu ad Eccleſias deputati vel titulati, atque ſimiles ijs quales in antiquis Conciliis commemorantur. Quod vt facilius præſtemus Canonem ſextum Calcedonenſis Concilij excutiendum cenſemus, quo vno tota deinceps & futura diſputatio longè facilior & clarior exiſtet.

Concilii Calcedonenſis Patres ita ſciuerunt c. 6. Nullum abſolutè ordinandum eſſe, nec Presbyterum, nec Diaconum, nec omnino vllum ex ijs qui ſunt in ordine Eccleſiaſtico, niſi ſpecialiter in Eccleſia Ciuitatis vel pagi, aut in Martyrio aut in Monaſterio, is qui ordinatur deſignetur. Eos autem qui abſolutè ordinantur decreuit ſancta Synodus irritam ac inualidam habere eiuſmodi manuum impoſitionem, & nuſquam exercere ac operari poſſe, ad eius qui ordinauit iniuriam. Canonem hunc antea & infideliter & infœliciter verſũ eſſe è Græco queſti ſunt non ita pridem eruditi &

probi Viri. Interpres apud Gratianum, d. 70. εἰδικῶς vertit *Manifestè*, manifesto errore, cum *specialiter* vertere debuerit. Deinde habet, in Ecclesia Ciuitatis suæ, illud *suæ*, addidit de suo, nec enim in Græco extat. Tum quod Græcè est κώμης, vertit *possessionis*, cum dicendum esset *pagi*. Tandem quod Græcè est ἐπικηρύττοιτο, vertit. Mereatur publicæ ordinationis vocabulum, cum vertendum esset, Publico edicto seu potius præconio assignetur.

Volunt igitur Sanctissimi Patres neminem absolutè esse ordinandum, id est certo loco esse assignandum, in quo suo siue Presbyteri, siue Diaconi, aut alterius ordinis fungatur officio. Ac ne quis causari posset se generaliter Ecclesiæ fuisse ordinatum & Canoni satisfecisse, si modo in illo loco, provt libuerit, munus suum obiret, idcirco additum est in Canone, εἰδικῶς id est specialiter, quasi innuant, non cuilibet Ecclesiæ Ciuitatis, sed certæ nempe huic vel illi, non cuiuis pago, sed certo ac definito, non cuiuis Martyrio aut Monasterio, sed ei quod fuerit nominatim expressum. Praua interpretatio Possessionis pro Pagi, dum vetus ille in-

terpres legit νόμην pro κῶμην vt Franciſcus Duarenus & Gentianus Heruetus magni viri ſuſpicantur, reclamantibus tamen Græcis Codicibus, videtur originem dediſſe conſuetudini quæ vſque nunc ſeruatur, qua ordinandi ſi Eccleſiaſticum non habeant, ſaltem Titulum Patrimonialem, vt loquuntur, hoc eſt Poſſeſsionis vel fundi alicuius ſibi aſsignati, vnde vitam poſsint ſuſtentare, proferant. Sed vt quod rei eſt eloquamur, iam ipſis Apoſtolorum temporibus Clerici qui ordinabantur ſimul & certę cuipiam Eccleſiæ ita addicebantur vt illam deſerere & in aliam commigrare omnino nefas haberetur. Præclarè illud expreſſum Conclio Vrbani 2. habito Placentiæ vt refert Gratian. d. 70. c. 2. Sanctorum Canonum ſtatutis conſona ſanctione decernimus vt ſine Titulo facta ordinatio irrita habeatur, & in qua Eccleſia quilibet *Titulanus* eſt in ea perpetuò perſeuerat. Omnino autē in duabus aliquem titulari non liceat, ſed vnuſquiſque in qua Titul. eſt, in ea tantum Canonicus habeatur. Licet enim Epiſcopi diſpoſitione vnus diuerſis præeſſe poſſit Eccleſijs, Canonicus tamen Præbendarius niſi vnius Eccleſiæ, in qua

conſcriptus eſt, eſſe non debet. Canonici vox quid ſibi velit hoc Canone & ſimilibus, explicauimus in noſtro commentario de Sacra Epiſcoporum auctoritate c. 13. & ſuprà id monuimus. Atque Epiſcopos etiam huic legi obnoxios fuiſſe ijdem Apoſtolorum & ſequentium Conciliorum Canones pronunciant. Apoſtolor. c. 15. 16. Concil. Nicæn. c. 16. Concil. Antiochen. c. 3. Concil. Arelaten. 1. c. 22. apud Burchard. lib. 2. c. 95. Iuonē part. 6. c. 172. Concil. Arelaten. 2. c. 13. Damaſus P. Rom. ad Paulin. Antiochē. apud Theodoretum hiſtor. Eccleſiaſt. lib. 5. c. 11. & Tripart. lib. 9. c. 19. Leo 1. P. Rom. Epiſtola 84. ad Nicetam Aquileienſem Epiſcopum. Martinus Braccarenſis Epiſcopus in Collectione c. 33. & 34. Omitto illud reperi Concilijs Aquiſgranenſi & Tribirienſi. Affricani tamen Patres ſic Canones illos temperari voluerūt Concil. Carthag. 4. c. 27. Inferioris gradus Sacerdotes vel alios Clericos conceſſione ſuorum Epiſcoporum poſſe ad alias Eccleſias tranſmigrare. Neque verò prætérire poſſum id quod ad Canonem illum Calcedonenſem ſpectat, Concilio Cabilonenſi ſub Carolo M. c. 43. in addi-

tione 3. Capitul. c. 37. errones illos Epiſcopos, quos Synodus *Scotos* appellat, ideo damnari, non modo quia vix ſine ſimoniaca hæreſi aliquos in alienis Diœceſibus ordinarent, ſed propter admiſſos in ea re non minimos errores & eum præſertim, quo abſolutè nec ad vllum Titulum vel Eccleſiam illos ordinarent. Citat hũc Canonem ex Concilio Remenſi Iuo part. 5. c. 22c.

Ex illo igitur Canone Calcedonenſi factum eſt vt ſequentibus Concilijs Parœci ſeu Parochi noſtri dicantur *Presbyteri* in *Parochiis* ordinati, quibus ſunt Eccleſiæ deputatę, Conciliis Toletano 4. Arelatẽſi & Cabilonenſi ſub Carolo M. quæ producemus ſequẽti Capite. Nec alios quam Parœcos intelligas cum Populum regendum atque Eccleſiæ alicuius regimen ſuſcipere dicantur, in ijſdem Concilijs, quique ſinguli ſingulis Eccleſijs initio aſſignabantur, de qua re poſtea. Romæ cum in ſingulis Titulis ſeu Parœcijs plures reperirentur Presbyteri, ijs præficiebatur vnus qui diceretur idcirco Presbyter Cardinalis, id eſt Principalis.

Extra Vrbem *Presbyteri Cardinales* nominati ſunt aliquando D. Gregor. lib. 1. Re-

gest. Epistola 15. ad Balbinum Episcopum Rossellanum præcipit in Populonensi Ecclesia vnum *Cardinalem* Presbyterum constitui & in Parochijs præfatæ Ecclesiæ tres Presbyteros. Idem lib. 11. Epistola 32. ad Ioannem Episcopum Syracusanum, statuit vt Cosmas quidam in Ecclesia Syracusana in qua ordinatus Subdiaconus, *Presbyter Cardinalis* constituatur. Meminit Presbyterorum Cardinalium in Constantinopolitana Ecclesia Nicolaus 1. P. Rom. in Epistola ad Michaëlem Imp. Bizant. lecta in Synodo 8. seu 9. Constantinopol. Hildebertus Cœnomanen. seu Turonen. in Excerption. Sed hoc parergon. Iuo part. 4. c. 246. ordinem Synodi ab vnoquoque Episcopo celebrandæ dum tradit, *Cardinales* conuenire ait, & c. 250. scribit *Cardinales* ac Sacerdotes Leuitas & reliquos de recta & orthodoxa fide examinandos. Mihi licet Presbyteri Ecclesię Matricis seu Cathedralis designari videantur. Nihilominus etiam Paroecos olim vocatos fuisse Presbyteros Cardinales, produnt Onuphrius & Petrus Vrbenetanus Episcopus, in vitas Pontific. Damasi, cum aiunt Euaristum dimisisse Presbyteris titulos, id est Curas

ſeu Parochias in Vrbe, ſed Curæ non habebant certas Eccleſias, licet haberent Parochias diſtinctas, vel fortè habebant paruulas Eccleſias atque ſecretas. In his titulis qui præerant Presbyteri dicti ſunt Cardinales. Adiungam & iſtud auctarij vice. Titulos Cardinales non tantum in Vrbibus, ſed etiam in ſuburbijs memorari. Concil. Meldēſi c. 54. Vt Titulos Cardinales in Vrbibus vel ſuburbijs conſtitutos Epiſcopi Canonicè & honeſtè ſine retractatione ordinent & diſponant.

Presbyteri ſimpliciter vel Sacerdotes, nuncupati ſunt olim noſtri Parœci ſeu Parochi, cuius rei cum innumera ſint tum in Conciliis tum in Epiſtolis Pontificum & capitularibus teſtimonia, ab ijs recēſendis omnibus abſtinebo lubens, niſi quod pauca ex Veteribus proferam, præter ea quæ hic ſparſim obſeruari queunt.

A Concilio Sardienſi ordiar, de quo liceat iſtud adnotare non videri numerādum inter Concilia Græca, vt præ ſe fert editio Romana Conciliorum Græcorum, ſi quidem Sardica Illirici Vrbs eſt, vt teſtantur Socrates lib. 2. hiſtor. Eccleſiaſt. c. 16. & Nicephorus lib. 9. c. 12. At Illiricum ad Occidentale Imperium per-

tinuisse nemo nescit, & liber Notitiæ Imperij vtriusque id firmat. Tum Orientales Episcopi secessione facta ab Occidentalibus, sese Philippolim receperunt. Sardicæ vero remanserunt trecenti circiter Episcopi ex Occidentis partibus, quemadmodum Socrates & Nicephorus prodiderunt. quanquam & ex Oriente nonnulli numerentur in subscriptionibus, sed vicere numero Occidentales. Insuper Dionysius Exiguus in Epistola quā præfixit Canonum collectioni suæ, dum enumerat Canones Græcarum Synodorum, sic habet: Tum sancti Calcedonensis Cōcilij decreta subeuntes in his Græcorum Canonum finem esse declaramus. Addit autem hæc. Ne quid inquit, præterea notitiæ vestræ credat velle subtrahere, statuta quoque Sardicensis Concilij atque Africani quæ Latinè sunt edita, suis à nobis numeris cernuntur esse distincta. Denique nō satis laudatus ille Codex Canonū ita habet. Præterea sunt aliæ viginti regulæ, quæ per Osium Episcopum Cordubensem currunt, quæ titulantur tanquam sexaginta Episcoporum, apud Sardicam: Quæ tamē non apud Græcos, sed apud Latinos magis inueniuntur. Immutaui nonnihil numeros hoc loco, nam in

excuſo corpore, ſeu Codice Canonum, leguntur *quadraginta regulæ*, ego viginti repoſui, pro numeri integritate, cum alioqui & apud Balſamonẽ, & in noſtris Cõciliis viginti & vna reperiãtur, ita cũ in illo Codice viginti tantum Epiſcoporum mentio fieret, ego ſexaginta reſtitui, cum ad calcem huius Concilij, in illo Codice Canonum, nomina tantum ſexaginta eorum memorẽtur qui ſubſcripſerint & quidem cum cæteris, cum aliter, ſexaginta & vnus nominatim exprimantur in Concilijs editis qui inter cæteros ſubſcripſere. Sic autem Sardicenſis ille Canon 12. meminit Parocci, dum ſtatuit vt Epiſcopi ſi in ſuas poſſeſſiones venturi ſunt & fructus ſuos collecturi, tribus diebus Dominicis, id eſt tribus ſeptimanis in ſuis poſſeſſionibus degant, & in Eccleſia quæ prope eſt in qua *Presbyter* populum congregat, ne a Communione alieni videantur, conueniant & ſacrificium celebrent. Canon hic numero decimus quintus eſt in corpore Canonum, & diſcrepans aliquantum a verſione Gentiani Herueti, quam citauimus, vbi inter cætera illud occurrit, ſi eſt proxima Ciuitas in qua eſt Presbyter, ne ſine Eccleſia videatur Epiſcopus facere diem

Dominicum, illuc accedat. Quod obseruatum volui ne quis hîc rusticanam tantum somniet Parœciam, Nam vrbana, satis aperte his verbis demonstratur.

Concilio Emeritensi. c. 9. Conueniens in omnibus nobis hæc manet sententia quæ digne custodiatur in nostra prouincia. Placuit vt quisquis ab Episcopo sanctum in potestate Presbyteris ad distribuendum tempore opportuno acceperit Chrisma, nihil ab eis beneficij causa tollere aut petere præsumat.

Concil. Carthaginensi 4. c. 36. *Presbyteri* qui per Diœceses Ecclesias regunt, nō à quibuslibet Episcopis, sed à suis, nec per iuniorem Clericum, sed omni anno, aut per seipsos, aut per illum qui sacrarium tenet, ante Paschæ solemnitatem Chrisma petant. Burchard. lib. 4. c. 76. Iuo part. 1. c. 270. ex Concilio Valentino in Hispania citant, & loco horum verborum, Qui per Diœceses Ecclesias regunt, legunt, Qui Diœcesanas Ecclesias regunt, ita vt Parochianæ Ecclesiæ etiam Diœcesanæ dicantur. Canon ille Carthaginensis repetitus est Concilijs posterioribus, Vasensi c. 3. Vormatiensi c. 60. Diserte Concil. Suessionense sub Pipi-

no, *Presbyter* qui in Parochia est, in Cœna Domini, rationem & ordinem ministerij sui Episcopo reddat, & Chrisma & oleum petat. Mentio extat etiam huius Canonis Capitul. lib. 7. c. 305. Capite superiore varia è Capitularibus presertim lib. 1. loca, quę ad rem istam faciũt protulimus, & tam sæpe Presbyteri vocabulum pro Parœco seu Parocho occurrit vt nihil supra. Burchardus lib. 2. c. 184. & Iuo part. 6. c. 229. citant ex Concilio Ilerdensi Canonem eiusmodi. Presbyter si à plebe sibi commissa mala opinione infamatus fuerit, & Episcopus legitimis testibus approbare non potuerit, suspendatur ab officio Presbyter vsque ad dignam satisfactionem, ne populus fidelium in eo scandalum patiatur. In excusis Concilijs non recensetur hic Canon inter Ilerdenses. Ex eodem Concilio Ilerdensi Burchardus lib. 4. c. 13. & Iuo p. 1. c. 208. citant illud. Omnis Presbyter qui fontem lapideum habere nequiuerit, vas conueniens ad hoc solummodo baptisandi officium habeat. Et eiusmodi extat in Canonibus Ilerdensibus qui prostant. Gratianus vtrumque descripsit fide Burchardi & Iuonis. Eadem notione Hincmarus

Epiſtola 7. c. 20. Parochiani ſubiecti Preſbytero vel Epiſcopo nominantur. Nec alii ſunt illi Presbyteri qui Parochianas decimas accipiunt. Concil. Meldenſi c. 75. qui eodem loco Presbyteri Eccleſiarum nuncupãtur, vt Presbyter Parochiarum Concil. Epannenſi c. 7.

Concilio Troſleiano c. 6. præclara habetur exhortatio ad *Presbyteros Parochianos* ſeu Parœcos, vt probè & piè ſuo fungantur munere, quam, quia lectu digniſſima videtur, prætermittere mihi relligio fuit. Quia mitis & humilis magiſtri diſcipuli ſumus, *Presbyteris* noſtris humilitatis exẽpla ac monita dare debemus, videlicet vt eis in quorum ditione ſuæ conſiſtunt Eccleſiæ, congruum honorem & obſequiũ impendant debitum, id eſt ſpiritualeatque Eccleſiaſticum, & hoc ſine vllo typho vel contentione vel rebellione, ſaluo namque miniſterii ſui iure, debent ſe grãtioſos exhibere Senioribus & *Parochianis* ſuis, de quorum oblationibus viuunt & cum debita humilitate, ſpiritualia eis obſequia miniſtrare. Obſerua interim *Senioris* vocẽ ea notione vſurpatam quæ nobis etiam nunc Gallis eſt vulgaris pro Domino loci vel fundi alicuius. Ita Capitul. lib. 1. c. 148

Vt Episcopi prouideant quem honorem Presbyteri pro Ecclesiis suis *Senioribus* tribuant, &c. 158. Vt nullus Presbyter chartas scribat, nec conductor sui *Senioris* existat. Alijs pluribus locis vox eadem repetitur, libris istis Capitularium. At ea vox pridem vsurpata in Hispania Regibus Gothis quemadmodum deprehenditur in Conciliis Hispanicis, & quidem longe ante Caroli Magni tempora, quo fit vt lapsus sit non leuiter, qui ad c. 7. Concilii Meldensis adnotauit vocem illam, Gallicam esse. Redeo ad *Presbyteros* siue *Sacerdotes* nostros id est Parœcos, quorum ea significatione crebra fit mentio apud Gallicæ historiæ Scriptores veteres, & presertim Gregorium Turonensem in historia Francorum & libris Miraculorum.

Sacerdotis etiam nomine intelligendi veniunt Parœci nostri: Quò spectat illud Concil. 6. Romani sub Symmacho PP. Si is cui res Dei competit, in aliis, quàm vbi res agitur, maximè solet territoriis commorari, Sacerdotem loci ipsius, vbi habitat huiusmodi prauitate contemptus, neglectu personæ, Episcopus literis instructum reddat. Capitul. lib. 1. c. 165. & 166. Vt ipsi Sacerdotes vnusquisque

ſecundum ordinem ſuum prædicare & docere ſtudeat plebem ſibi commiſſam. Poſterioribus ſæculis, vox trita & vſitata, ea notione. Capitul. lib. 5. c. 162. Vt Sacerdotes Populi ſibi commiſſi curam habeant & inſtanter de eorum animarum ſalute prædicent, & vt facinoroſos ſecundum Euangelicam inſtitutionem arguãt. Rectores Eccleſiarum, alias nominantur & paſſim illud occurrit Concil. Pariſienſ. lib. 1. c. 30. Iandudum à pio & orthodoxo Principe Domino Ludouico Deo amabili Imperatore iuſſum & admonitum eſt vt Rectores Ecclesiarum in Eccleſijs ſibi commiſſis ſtrenuos milites Chriſti quibus Deus placari poſſet, præpararent & educarent. Non dubito quin & hoc ad Epiſcopos ſpectet, ſat ſit ſi & Parœcos hoc nomine comprehendi dixero. Et quidem ſub finem iſtius Capitis, hæc ſubijciuntur. Quando ad prouinciale Epiſcoporum Concilium ventum fuerit, vnuſquiſque Rectorum, ſicut iam in præcedentibus memoratum eſt, Scolaſticos ſuos eidem Concilio adeſſe faciat. Quod de noſtris Parœcis intelligi mihi non dubiũ, & dicemus infra ſub finem Capitis quarti. Archipresbyteri, non omnes Parœci di-

cti sunt, vbi enim non numerosa Plebs existeret, vnus Presbyter sufficere videbatur, alioqui vbi Presbyteri plures, qui iis præerat, Archypresbyter vocabatur. Cõcil. Epannensi c. 80. vox extat & Canon hic desumptus ex Concil. Agathensi c.54 vbi Presbyteri non Archipresbyteri vocabulum expressum est. Ex Isidoro lib. officiorum citat illud Gratian. d.63 c. 20. Si in Plebibus Archipresbyteri obierunt, aut pro aliquo reatu exinde eiecti fuerint, Archidiaconus quanto ocyus proficiscatur illuc & cum Clericis & populis ipsius Presbyteri electionem faciat quatenus dignus Pastor Domini Dei constituatur, & dum ordinatur eius prouidẽtia ipsa Plebs custodiatur.

Capitul. lib. 1. c. 173. *Proprius Presbyter* nominatur qui nobis Parœcus seu Curio. Legis Alemannicæ libro, tit. 11. pœna irrogatur ei qui in *Presbyteri* curtem, qui in Parochia positus est ab Episcopo, contra legem armatus intrauerit. Itidem tit. 13. Si quis *Presbyterum Parochianum* iniuriauerit aut mancauerit. Non dubium quin *Presbyteri* illi Aurelianenses; ad quos scripsit Theodulphus Aurelianensis Episcopus, Parœci seu Parochi existerẽt: multa sunt

ta sunt

ta sunt quę id doceant, vnum aut alterum locum apponam. c. 14. Nullus *Presbyter* fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ de alterius Presbyteri Parochia persuadeat vt ad suã Ecclesiam cõcurrant relicta propria Ecclesia & suas decimas sibi dent. Sed vnusquisque sua Ecclesia & Populo contentus, quod sibi non vult fieri alteri nequaquam faciat. c. 16. si quis *Presbyter* inuentus fuerit alicui Clerico vel Laico, munera dare aut dedisse vt Ecclesiam alterius Presbyteri surripiat.

Concilio Meldensi c. 36. *Presbyteri Plebiũ* nominantur, vnde posterioribus temporibus *Plebani* vox pro Parœco vsurpata est, & primum quidem ni fallor sub Lucio 3. P. Rom. circa annum 1181. Decretal. lib. 2. tit. 26. De præscription. cum olim.

Post Concilium Toletanum 2. Epistola Montani Episcopi Toletani ad Episcopos & Parœcos territorij Palentini Parochenses Presbyteri vocantur. Concilio Emeritensi in Hispania sub Rechesuinto Rege habitum c. 14. Presbyteri Parochitani dicuntur. Si quis vocabulũ corruptum esse dicat pro Parochianis, nõ ausim illud asseuerare, nam sequẽtes Ca-

nones aliquot *Parochitani* vocem retinēt quibus etiā mentio fit Ecclesiarum Parochitanarū. Capite vero decimo octauo disertè habetur quod Parochitani Presbyteri iuxta vt in rebus sibi a Deo creditis sentiunt habere virtutē, de Ecclesiæ suæ familia Clericos sibi faciant. Quanquam c. 12. & 19. Presbyteri Parochiani appellantur, vt & Concilio Meldensi c. 74. Capitul. lib. 6. c. 177. c. Presbyteri Parochiani mētio habetur. Sed vt quod res est liberè eloquar & illo æuo & anteriore, cum Parochiæ vox vulgò etiam pro dioecesi vsurparetur, credo Presbyteros Parochianos dictos fuisse non aliter ac si quis Dioecesanos pronunciasset, hoc est in hac Parochia seu Dioecesi ordinatos, & vt ita dicam Titulatos, firmabo coniecturam meam Concilio Barcinonensi c. 2. vbi Presbyteri Dioecesani nuncupantur, Et eodem significato, Presbyteri Parochiales Concilio Toletano 7 c. 4. Nec propterea dixerim omnes huiusmodi Parochianos seu Dioecesanos Presbiteros nullam sibi creditam Plebem habuisse quam regerent, Sed erant alii alterius generis Presbyteri Parochiani siue Dioecesani quibus adsignatæ Capellæ

ſiue Oratoria quædam priuata, quorum ita meminit Concilium Meldenſe c. 75. vt iſtos à Parœcis ſecernat, Epiſcopi Gallicani Carolum Caluum iis verbis alloquuntur, Dignum erat vt Çapellas villarum veſtrarum Laicis non committeretis. Ac paulo poſt. Si Capellas veſtras Presbyteris aut viris Eccleſiaſticis dederitis & Dominicas decimas acceperint, ſacra tecta Eccleſiæ & luminaria exinde competenter prouideant, & Presbyteri Parochianas decimas accipiant & populi neceſſitatibus inuigilent. Poſtremi iſti, noſtri Parochi ſunt. Duplicis generis Decimæ hîc adſignantur. Quædam Dominicæ ſeu Regiæ quæ ad Capellas Villarum Regiarum ſpectent, aliæ vulgares & populi quæ ad Parœcum.

Vt *presbyteri* appellatione, intelligendi veniunt in Conciliis, non rarò, ipſi Parœci, quippe qui verè Presbyteri, & cæteris qui nomen illud obtinent digniores. Ita *Clerici* dicti ſunt quaſi cæterorum Clericorum facilè Principes. Concilio Epannenſi c. 23. Sanctorum Relliquiæ in Oratoriis villaribus non ponantur, niſi forſan *Clericos* cuiuſcunque Parochiæ vicinos eſſe contingat,

qui ſacris Cineribus pſallendi frequentia famulentur. Iuo part. 3. c. 78. pro *Clericos* cuiuſcumque Parochiæ, legit numero vnitatis, *Clericum* cuiúſque Parochiæ, pro *Cineribus*, legit *pignoribus*. Concilio Aurelianenſi 4. ſub Childeberto Rege c. 6. Clerici Parochiani qui vocantur non alio ſignificatu arbitror, appellationem iſtam ſortiūtur quam quo Presbyteros Parochianos aliquando in Concilijs nominari cenſuimus paulo ſupra, Adde ſimili locutione Clericos Parœciales Concilio Braccarenſi 2. c. 2. & Clericos locales ac *Diœceſanos* Concilio Toletano 3. c. 20. licet vniuerſim ſic appellari videantur qui Eccleſijs Diœceſanis adſignati ſeu Rectores ſeu alij. Non erat animus attingere ſequentia poſt Caroli M. æuum, ſæcula, tamen Clerici nomen Parœcis ipſis, poſterioribus temporibus, attributum adnotare liceat in gratiam ſtudioſi lectoris, Alexander 3. P. Rom. Salernitano Epiſcopo, lib. 2. Decretal. tit. 26. de Præſcription. c. 4. quæ eſt pars c. licet, vt citat Bernardus Papienſis in veteri Collectione lib. 2. tit. 18. c. 6. fortè clauſula integra extat ſub tit. de Sponſa duo-

rum c. 3. Ille igitur Pontifex hac Epiſtola Parœcum ſeu Parochum appellat *Clericum.*

Noſtris temporibus *Curiones* vel *Curatos* dicimus: qui in rerum noſtrarum Chriſtianarum originibus inueſtigandis magnum aliquod ſe præſtitiſſe putant nonnulli, è republica Romana *Curiones* noſtros & dictos & imitatione aliqua inſtitutos aſſerunt. Neutrum rectè, quod tam à vero abeſt quam Cimmerij à Sole. Nec enim credere par eſt Parœcos noſtros vocatos fuiſſe *Curiones* à Curia ſeu Regione Vrbis, veteri more Romano, vbi qui Curiæ ſeu Regioni præerat, Magiſtrum Curię vocat Plautus in Aulularia, ſacrorum eius Regionis curam habebat. Nec magis hæc probari debet & vocis & rei origo, quam ſiquis, ex Aggeno Vrbico, dicat olim apud veteres loca ſacra quam maximè in confinio conſtitui ſolita, vbi trium vel quatuor poſſeſſionum terminatio haberetur, quæ res multo maiorem habet cum voce Parochiæ & eius ſignificato affinitatem. Certum eſt *Curionis* vocem his dumtaxat poſtremis ſæculis auditam, qui antea Presbyteri, *Sacerdotes, Presbyteri parochia-*

ni, postea *Plebani* aut *Rectores* dicti sunt. *Curiones* ergo seu *Curati* denominati sunt à cura & solicitudine, quam de Plebe seu Populo sibi commisso habere debent. Gallis nostris ea propria & peculiaris vox tribuenda est, & Gallicani Canones voci huic originem dederunt. Sic Capitul. lib. 2. c. 5. Præcipitur vt Sacerdotes Populis ad suã portionis *Curã* pertinentibus exemplo & verbo præsint. Extat in veteri editione, eodem numero. Tum Concilio Trosleiano c. 6. Vormatiensi c. 49. Presbyter in sua ordinatione & dispensationis *Cura*, habeat Parochiã suam. Addo etiam hanc loquendi formam lõgè ante hęc tẽpora in eadẽ re proposita, vsurpatam fuisse. Leo 1. P. Rom. Epistola 85. ad Episcopos Affricæ c. 2. Vbi minores sunt Plebes, minorésque conuentus Presbyterorum *Cura* sufficiat. Idem ex Prospero lib. 2. de vita contemplatiua c. 11. Cõcilium Aquisgranense 1. sub Ludouico Pio c. 108. Sacerdos cui dispensationis *Cura* commissa est, non solum sine cupiditate, sed etiam cum laude pietatis accipit à Populo dispensanda.

Apud Græcos Parœci seu Parochi nostri vocantur *κατπικοίλοι* Curopalatæ lib.

de Officialibus Palatii Constantinop. & Officiis magnæ Ecclesiæ, secũdo quinario; dicemus postea Capite sequenti.

CAPVT QVARTVM.

De Parœciarum & Parœcorum institutione.

QVANDOQVIDEM Parœcorum nostrorũ institutio in varijs Christiani Orbis Prouincijs nobis est à prima origine repetenda, æquum duximus ab Vrbe Æterna, sic enim medij æui scriptores, Romam nominarunt, auspicium auspicatò ducere. Atque vt rei dicendæ certam quandam regulam ac normam teneamus, quem Parœci nomine intelligamus imprimis definiendum est. Parœcus siue Parochus est qui certæ cuipiam Ecclesiæ assignatus, Plebem seu Populum sibi subiectum habeat, cuius gratia sacrum facere: quem docere, & cui sacra Symbola siue Sacramenta dispensare teneatur, quique vicissim fidelium, quibus regundis præest, oblationibus sustentari debeat. Inquiramus nunc quo tempore cœperint eiusce modi Presbyteri Parœci, & an illi omnibus in Prouincijs ad Christi fidem cõuersis instituti fuerint. Nemo

ſanus negabit D. Petrum Romæ, cum plures Chriſtianam pietatem, in dies, renunciata Idololatria, amplecterentur, aliquot inſtituiſſe Presbyteros, qui illos fidei rudimenta docerent ac tingerent, cæteráque Sacramenta miniſtrarent, cum ei muneri vnus D. Petrus ſufficere non poſſet. Exiguus certè & incertus hoc tẽpore Presbyterorum huiuſcemodi numerus. At Cletus Coepiſcopus ſub D. Clemente, eos ad certum numerum redegit, vt auctor eſt Damaſus P. Rom. in hiſtoria Pontificia, tradit enim Cletum ex præcepto D. Petri vigintiquinque Presbyteros ordinaſſe in Vrbe Roma. Anaſtaſius Bibliothecarius ex Damaſo iſtud exſcripſit.

Anacletum D. Clementis ſucceſſorem, nonnihil in diſtribuendis vnicuique Presbyterorum iſtorum muneribus decreuiſſe, facilè perſuador illius tertia Epiſtola de qua mox dicemus. Euariſtus Anacleti ſucceſſor & tertius poſt D. Petrũ P. Rom. anno Chriſti centenſimo, cum iam per Vrbis Regiones Chriſtiana religio magnum caperet incrementum, multíque ex infidelibus ad Chriſtũ quotidie conuerterentur, ac metueret Ponti-

ſex ne quid inordinatè & cum rerum ſacrarum aliqua perturbatione à Presbyteris, quibus Sacrorum cura cõmiſſa erat, in ea multitudine fieret. T*itulos* ideſt Parœcias, in Vrbe Roma ipſis Presbyteris diuiſit, vt à ſe inuicem ſeiuncti, ſuo quique Titulo ſiue Parœcia vicinos fideles erudirent, alióſque Chriſtianæ fidei cupidos inſtruerunt, denique ſuæ curæ cõmiſſis Sacramenta miniſtrarent. Quo tempore ſinguli erant Presbyteri in ſingulis *Titulis* ſeu Parœcijs, quod tum ſatis eſſe videbatur.

Higinus poſt D. Petrũ nonus P. Rom. cum fidelium numerus in maximam excreuiſſet multitudinem, plures Presbyteros in vnoquoque *Titulo* ſeu Parœcia cõſtituit in quibus vnum cæteris præeſſe voluit, quẽ idcirco *Cardinalem* ideſt Principalem nominauit.

Dionyſius 25. poſt D. Petrum, anno Chriſti 290. auxit *Titulos* ſeu Parœciarum numerum, & ipſis Presbyteris aſſignauit Cœmeteria ad curandam Martyrum ſepulturam, ac fines limitéſque *Titulorum* ſiue Parœciarum conſtituit. De qua re ſic ipſe Epiſtola 2. ad Seuerum Epiſcopum. Eccleſias ſingulas ſingulis Presby-

teris dedimus, Parochias & Cœmeteria eis diuisimus, & vnicuique ius proprium habere statuîmus, ita videlicet vt nullus alterius Parochiæ terras, terminos aut ius inuadat, sed vnusquisque suis terminis sit contentus, & taliter Ecclesiā & Plebē sibi cōmissam custodiat, vt ante tribunal æterni Iudicis ex omnibus sibi commissis rationem reddat, & non iudicium sed gloriam pro suis actibus accipiat.

Marcellus 29. post D. Petrum, anno Christi 305. *Titulos* seu Parœcias in Vrbe esse voluit vigintiquinque, alij, quindecim dicunt, vt multo commodius ad fidem venientes baptisarentur. Damasus in suo Pontificali & Anastasius Bibliothecarius ex eo, ista prodiderunt, pluribúsque prosecutus est alter parēs historiæ Ecclesiasticæ Onuphrius Panuinius.

Sed primariam Parœciarum & Parœcorum institutionem extra Vrbē tandem inspiciamus.

Anacletus I. P. Rom. qui D. Clementi successit horum omnium auctor est, sic enim Epistola 3. cuius meminit Burchard. lib. I. c. 4. Iuo, part. 5. c. 59. & 98. Episcopi non in Castellis aut modicis Ciuitatibus debent constitui, sed Pres-

byteri per Caſtella & modicas Ciuitates atque villas debent ab Epiſcopis ordinari & poni, ſinguli tamen per ſingulos *Titulos* ſuos. Concilio Sardicenſi c. 6. decretum hoc repetitum eſt, quo Patres vnicum Presbyterum ſufficere cenſent in pagis vel oppidis. Concilio Laodiceno c.57. In villis & pagis vel oppidis. Concilio Laodiceno c. 57. In villis & pagis non Epiſcopos quidem ſtatuendos ſed *Periodeutas*, ſeu circumcurſatores, alij Viſitatores verterunt. Balſamo ad hunc locum non declarat quinam ſint illi *Periodeutæ*, initio quidem Commentarij ſcribit alios Canones definiiſſe in Pagis & vicis Coepiſcopos & Presbyteros conſtituēdos. Si in eo Ius Canonicū Latinorū ſequi vellemus *Periodeutas* non alios ſignificare quam Archipresbyteros ſeu Decanos ruſticanos diceremus. Sed *Viſitatoris* nomen, quod eſt vſurpatum in Latina verſione, aliud indicat, apud Eccleſiaſticos ſcriptores, ſignificat enim eum, ſiue Epiſcopus ſiue Presbyter exiſteret, qui alicuius Epiſcopi, vel ob crimen Canonicum damnati, vel demortui Eccleſiam & Dioeceſim regeret, quoad eligeretur alter Epiſcopus. Sed quoniam res hæc ad

Cōmmēdarum vt nunc vocant explicationem pertinet, aliam certè ab instituta dissertatione, idcirco manum subducimus, & id alio ac commodiore loco explicare tentabimus. *Visitatoris* aut *Periodeutæ* vox extat. Cod. De Episcopis & Cleric.l. Græca,sed addita est interpretatio Contij.

Citatur etiam hic Canon Sardicensis Capitul.lib.1.c. 18. Concil. Toletano 12. c.4.Referunt Burchardus lib. 1.c.33. Iuo part.5.c.144.

Eadem mente Leo M.P. Rom.Epistola 85.ad Episcopos Affricæ c. 2. Vbi minores sunt Plebes minorésque conuentus Presbyterorum cura sufficit. Verumtamen ne quis Presbyteros simpliciter interpretetur, ex superiori definitione Parœcos intelligi tam clarum est quàm Sol Syracusius, quosque Septuaginta discipulorum Christi seruatoris successores esse, quales sint Episcopi Apostolorum,tradit idem Anacletus, Epistola citata.

Parœcos autem præsertim, & præ cęteris Perbyteris, in Septuaginta discipulorum locum successisse, Veteres censuerunt.Sic enim Anacletus scribit Epìstola

2.ad Episcopos Italiæ, refertur d.21.c.2 & Glossa Bedæ in c.10 Luc. Episcopi tenent statum duodecim Apostolorum in succedendo, & status Curatorum succedit statui Septuaginta duorum discipulorum Christi quo ad legem nouam, vt in veteri lege. Septuaginta senioribus Sinagogæ Mosaicæ persimiles dicuntur. Extatque locus insignis de ea re post Conciliũ Toletanum secundum. Epistola. Mõtani Episcopi Toletani ad. Episcopos & Parœcos territorij Palentini. Reuoluatur, inquit, manibus vestris, ô Presbyteri sacratissimus Numeri liber in quo vestri officij in Septuaginta seniorum personis auspicatus est honor, & inuenietis quorum negotiorum vobis prærogatiua cõcessa sit, Adiutores suos Dominus nostri laboris, secundo dignitatis gradu esse voluit. Fulbertus Carnotẽsis Episcopus circa annum Christi millesimum, alludit ad hanc sententiam Epistola 2.ad Finardum. Moses dux populi secundis adiutoribus, septuaginta viris videlicet de eodem populo, sustantabitur, per quos forma Presbyterorũ exprimitur qui nunc in Ecclesia nouitia Põtificale onus in se suscipientes regendis populis inuigilant.

Theodulphus Aurelianensis Episcopus ad Paroecos Aurelianensis Diœcesis numer. 1. id longe antea scripserat his verbis. Scitote Parœci vestrum gradum, nostro gradui, Episcoporum, secundum & pene coniunctum esse. Sicut enim Episcopi Apostolorum in Ecclesia, ita nimirum Presbyteri cæterorum discipulorũ Domini vicem tenent, & illi tenent gradum Summi Pontificis Aaron, isti vero filiorum eius. Vnde oportet vos semper memores esse tantæ dignitatis. Ac post pauca, Plebibus exemplum bene viuendi præbentes his quibus præestis ducatum ad cœlestia regna præbeatis. Ac certè vt Episcopos primum in Ecclesia ordinem constituere, ita Parœcos secundum, ex ipsis Concilijs manifestum est. Nec enim alio sensu accipi potest quod scribitur Synodo Romana 4. tempore Symmachi c. 6. Presbyteros qui per omnes Titulos Romæ Ciuitatis constituti sunt, secundi ordinis censeri. Et quidem Titulos istos Romæ nihil aliud fuisse quam Parœcias infra docebimus. Concilio Aquisgranensi 2. sub Ludouico Pio, Sectione de ordine Rectorum. Caput quintum totum est de nostris Paroecis quorum mu-

nus & officium plene perfecteque, licet paucis, describitur. Inter cætera, illud quod ad institutum facit commemorant Episcopi qui in Concilio aderant. Presbyteri qui præsunt Ecclesijs Christi de omnibus hominibus qui ad eorum Ecclesiam pertinent, per omnia curam gerant scientes se pro certo reddituros rationem pro ipsis in die Iudicij, quia cooperatores oneris nostri esse proculdubio noscuntur. En quo pacto Parœci ab Episcopis in partem sollicitudinis adsciscantur vt Septuaginta discipuli ab Apostolis. Affine est illud Concilij Valentini sub Lothario Imperatore. c. 9. vbi Parochiales Presbyteri seu Paroeci Episcopis adiutores adsignantur, quique Episcoporum tutela & patrocinio liberi & quieti officium Ecclesiasticum exequantur. Et Fulbertus Carnotensis Episcopus dixit Epistola 2. Episcopum, suæ Pastoralis curæ vicarios adiutores ad erudiendam Plebem sibi commissam Paroecos constituere. De ijs enim agi antecedentia satis conuincunt, vt supra descripsimus.

Quam plurimi Iuris Canonici interpretes idē testantur, quibus prætermissis, virū & pietate & doctrina non apud Gal-

los tantum, ſed etiam apud exteros notiſſimum, teſtem fidei pleniſſimum, citabo Ioannem Gerſonem Cancellarium Academiæ Pariſienſis. Is parte tertia, tractatu de Concilijs Euangelicis & ſtatu perfectionis, ſcribit ad hunc modum. Status Curatorum in ordine proximus eſt ſtatui Epiſcoporum; patet, quia eadem opera Hierarchica eis incumbunt quæ & Epiſcopis, etſi non in tam excellenti gradu. Debent enim ſubditos purgare arguendo, increpando, illuminare docendo & prædicando, perficere Sacramenta miniſtrando. Tenentur & in caſu, ſicut Epiſcopi animas pro ouibus ponere. Vnde & in miſſione Septuaginta duorum diſcipulorum, quibus Curati ſuccedunt ſecundum Theologos & Iuriſtas, quaſi eadem opera mandauit eis Chriſtus, quæ & Apoſtolis Luc. 10. Idem tractatu de ſtatibus Eccleſiaſticis, titulo de ſtatu Curatorum, conſideratione 1. Status, inquit, Curatorum ſuccedit ſtatui Septuaginta Diſcipulorum Chriſti, quoad legem nouã, & figuratus eſt in Antiqua lege per Leuitas (melius ex Anacleto dici potuiſſet, per filios Aaron) ac proinde ſtatus Curatorum eſt de inſtitutione Chriſti & Apo-

ſtolorum

ſtolorum ſuorum, à principio fundationis Eccleſiæ, quæ inſtitutio per declarationes Summorum Pontificum & Synodorum tam generalium quàm ſpecialium magis innotuit. De ea re videre licet Capitul. lib. 7. c. 324. Eodē ſpectat apud eundem Gerſonem, cum alijs locis Paroœcos ſeu Curatos veros eſſe ac legitimos *Hierarchas* poſt Epiſcopos defendit, quique ſint in ſtatu perfectionis nedum acquirendæ, ſed exercendæ per actus Hierarchicos. Ita ſcribit tractatu de Relligionis perfectione ac moderatione, Cōſideratione 4. Vereor ne quis alioqui peruicax dicat Gerſonē ſuam egiſſe cauſam cum Diui Ioannis in Grauia Lutetiæ Pariſiorum Paroecus fuerit. Verum qui ſincerè & ſine vllo odio atque malignitate de Paroecorū dignitate ſententiam tulèrunt, illos *Prælatorum* nomine cenſendos eſſe exiſtimarunt. Quod colligitur c. cū ab Eccleſiarum, De officio Ordinat. Decretal. libro ſecundo, titulo trigeſimo primo. Bernardus Papienſis libro primo, titulo vigeſime tertio. c. Tua, libro 3. Decretal. tit. 6. de Clerico ægrotante. Antiq. Collect. Decretal. libro tertio. tit. 6. Archidiaconus in c. Animarum, De

Constitution. lib. 6. Sed vt est hominum non paucorum in seipsos, suique similes amor cæcus, erga cæteros nimis delicatum fastitum, non desunt qui cum pudore aliquo & fronte Paroecos, ab hierarchico Ecclesiæ ordine remouere non possint, tamen Ecclesiæ Conuentibus & Concilijs Paroecorum nullam habitam rationem nullumque ijs locum adsignatum prædicare audent Et vero quis nisi Ecclesiasticæ antiquitatis plane imperitus & ignarus nõ aduertit etiam Presbyteros non secus atque Episcopos in Concilijs saltem Prouincialibus consedisse ac nonnunquam subscripsisse, cum alioquin starent Diaconi, aut si qui alij reperirentur è populo. Qui si Presbyteros illos, simplices, vt vocant, id est nudo ministerij officio insignitos pronuncient, quid ni multo magis, qui Episcoporum instar, suam habebant plebem regendam, cui pro suæ dignitatis portione præerant? Nec est quod in ijs numerem Paroecos qui Episcoporum vices egere in Concilijs, vt Concilio Rhegiensi in Narbonensi secundo, subscripsit Vincẽtius Prebyter, veruntamẽ nomine Episcopi Cõstãtiniani. Sunt

qui Vincentium Lirinenſem hunc ſuſpicantur. Concilio Arauſicano primo, Superuentor Presbyter ſubſcripſit pro ſuo Epiſcopo. Concilio Arelatenſi 3. Cataphronius Perbyter pro Agricio & Seuero Epiſcopis Deſiderius Presbyter & Lerutius Presbyter. Eodem modo Concilio Turonenſi primo Iocundinus presbyter & quidem ſui Epiſcopi iuſſu. Concilio Epaunenſi Pedalius Presbyter interfuit & ſubſcripſit pro Salutari Epiſcopo, & quidem ante alios Epiſcopos, habes rationem in noſtro Commentario de Epiſcoporum auctoritate c. 10. ſed hæc parum ad inſtitutum. Concilio Eliberitano, quod eſt antiquiſſimum, ſubſcripſerunt, ſuo non alieno nomine viginti quatuor Presbyteri, quos ſi non omnes ſaltem magna parte Paroecos fuiſſe mihi non dubium, nam quid ſibi volunt hæc, Reſtitutus Presbyter de Elepel, Natalis Presbyter de Orſima, Maurus Presbyter de Illiturgi, &c. niſi quod ſignificētur Paroeci horum locorum, in quibus cum Eccleſiæ reperirentur, ad quas iſti Titulati erāt vt verbo legitimo vtar, nec Epiſcopales ſedes haberentur, neceſſum eſt fate-

ri illas Paroeciales Ecclesias extitisse. Et certe in illo catalogo fit mentio Eucharij à Municipio, in quo Episcopalis Cathedra constitui non potuit. Subscriptiones istorum Presbyterorum ex vetusto huius Concilij codice confirmat Zurita in Annalibus Arragoniæ. Quo modo interea consisterent isti Presbyteri in Concilio docent hæc Concilij ipsius verba, Post enumeratos Episcopos *Residentibus* etiam viginti & sex Presbyteris, adstantibus Diaconibus & omni plebe. Concilio Arelatensi 2. interesse voluit suo nomine B. Syluester P. R. Presbyteros duos & Diaconos totidem. Præter eos permulti Presbyteri interfuerunt vt ex indiculo Cōcilij istius apparet. Idem certere licet Concilio Aquileiensi cui adfuit D. Ambrosius. Concilium Mileuitanum in præfatione habet. Cum Aurelius Episcopus Ecclesiæ Carthaginis in Concilio vniuersali consedisset adstantibus Diaconibus, An quis Presbyteros & eos maxime qui Parœci dicuntur reiectos esse dicat admissis Diaconis? Quod idem alijs Conciliis Africanis factitatum esse legimus. Concilio Romano 2. sub Symmacho B. R. & adfuerunt & subscripserunt

Presbyteri Parœci Romanæ vrbis numero ſexaginta ſeptem, ij enim nominantur qui erant præfecti Titulis, quos non aliud ſignificare quam Eccleſias Parœciales demptis Diaconijs, in confeſſo eſt apud omnes. Concilio Antiſſiodorẽſi ſubſcripſere Presbyteri trignita & duo. Concilio Romano ſub Gregorio ſecundo ſubſcribunt etiam Parœci Romani, vna cum Diaconis, ſiue ij quibus Tituli ſeu Parœciæ commiſſæ erant. Synodo Francica Carlomanus Princeps Francorum, ait. Ego &c. Epiſcopos qui in regno meo ſunt cum Presbyteris ad Conciliũ & Synodum pro timore Chriſti congregaui, A chuic Concilio præfuit D. Bonifacius Martyr Archiepiſcopus Maguntinus. Concilium Foroiulienſe ſub Carolo & Pipino idem habet, vt & Turonenſe & Maguntinum ſub Carolo M. in præfatione. Maguntinum aliud ſub Rabano præfatione: Valentinum Gallicacanum præfatione. Idem Synodo apud S. Medardum in ſuburbio Sueſſionenſi poſt caput nonum expreſſum eſt, iis verbis. Poſt enumeratos Epiſcopos Concilio adſtantes reſidentibus etiam Presbyteris & Abbatibus: Quo loco

Presbyteri cum Abbatibus præponantur, honoratiores intelligendi sunt, quos non alios esse quàm Parœcos, nimis verisimile est. Eandem honoris prærogatiuam obseruabis postea ex Concilio Emeritensi in Lusitania. Concilio Toletano 8. subscribunt varii Presbyteri in quibus qui Parœcos non numeret non mihi rectè dicere videbitur. Concilio Toletano 1. iisdem verbis in Pręfatione, Considentibus Presbyteris, adstantibus Diaconibus & cæteris. Concilio Tarraconensi, Canone vltimo, Epistolæ tales per fratres à Metrapolitano sunt dirigendæ vt non solum à Cathedralibus Ecclesiis Presbyteros, verum etiam de Diocesanis ad Concilium trahant. An reiectos à Conciliis Parœcos existimabit aliquis, qui videat hoc Canone decretum, illos vel inuitos ad Concilium adducendos? Concilium Bracarense 1. ita habet in præfatione. Considentibus simul Episcopis, præsentibus quoque Presbyteris, adstantibusque Ministris vel vniuerso Clero. Concilii Toletani Capitulo quarto, Concilii cuiuslibet habendi forma describitur hoc modo: Hora prima diei ante Solis ortum eiiciantur

omnes ab Ecclesia obseratisque foribus cunctis ad vnã ianuam, per quam Sacerdotes ingredi oportet ostiarii stent, & conuenientes omnes Episcopi pariter introeant, & secundum ordinationis suæ tempora resideant. Post ingressum omnium Episcoporum atque consessum, vocentur deinde presbyteri quos causa probauerit introire. Nullus se inter eos ingerat Diaconorum. Post hos ingrediantur Diaconi probabiles, quos ordo poposcerit interesse, & corona facta de sedibus Episcoporum, presbyteri à tergo eorum resideant. Idem habes c. 26. Cõcilio Emeritensi c. 5. decretum vt qui Episcopus iusta de causa Concilio prouinciæ interesse non posit, saltem Presbyterum vtilem mittat, qui à tergo Episcoporum inter presbyteros sedere & quæque in eo Concilio fuerint acta scire & subscribere valeat. Non est quod de illo Presbytero qui vicem Episcopi sustineat hinc agatur, sed quid sibi volunt presbyteri illi inter quos iste Episcopi Vicarius sedeat? non enim omnes quotquot adfuerunt presbyteri, Episcoporum absentium vices agere censendi sunt. Erunt itaque presbyteri, qui cęteris eminere vi-

debuntur, quos Parœcos ſeu Rectores Eccleſiarum Parochialium dicimus. Adiiciam & illud vſitatum, Presbyteros nimirum in Conciliis illis ſedere ſolitos, quod indicant hæc ſequentia verba iſtius Capituli. Iniuſtum enim hoc accipit Cœtus noſter vt quiſquam Epiſcoporum Diaconum ad ſuam perſonam dirigat. Hic enim quia Presbyteris iunior eſſe videtur ſedere cum Epiſcopis in Concilio nulla ratione permittitur. Nō poſſum quin & in gratiam noſtrorū Parœcorum illud addam ex eodem Concilio c.11.Paroecos præcedere & dignitate anteire Abbates ipſos. De Paroecis ad Concilium Prouinciale Epiſcoporum conuenientibus habes Concilio Pariſienſi lib. 1.c.30. & Capitul.additione 2.c.5.Sed illud accuratius perpendamus ex forma & ordine celebrandi Concilij, cuius auctorem ferunt Iſidorum Hiſpalenſem, vt habetur ſeorſim excuſus, & inſeritur Cōcilio Toletano 4.c. 4.& antea locum integrum adſcripſimus.Iuo parte 4.c. 246. idem profert ex Concilio Salegunſtadiēſi, ſed quia nonnihil varietatis eſt, & quidem obſeruandæ, idcirco deſcribere locum integrum non abs re videbitur.Ho-

ra diei prima ante Solis ortum eijciantur omnes ab Ecclesia, obseratisque foribus cunctis ad vnam ianuam per quam Sacerdotes ingredi oportet ostiarij stabunt, & conuenientes Cordinales, Sacerdotes pariter cum Episcopo introibunt, & secundum Ordinis sui tempus residebunt. Post hos ingrediantur & Diaconi qui corona facta in conspectu Episcopi & Sacerdotum stent. Deinde forenses ingrediantur Presbyteri in ordine suo procul ab alijs stantes, & vt iussi fuerint residentes. Sacerdotes Cardinales seu Canonicos, matricis Ecclesiæ interpreteris, seu Paroecos, quod mihi magis placet, & quod sequitur de forensibus Presbyteris id magis firmat ex collatione, parum refert. Nostris in vsu positum esse vt Paroeci intersint Concilijs docet Cõciliũ Parisiense sub Ludouico Pio libro. 1.c.30. & Capitul. Additione 2.c.5. Ac nequis Presbyteros velut spectores duntaxat Concilio interesse credat, audiat id quod sequitur post verba à nobis ex Codice Isidori recitata, vbi dicuntur Presbyteri a tergo Episcoporum residere. Quos inquit Isidorus sessuros secum Metropolitanus elegerit, qui vtique & cum

eo iudicare aliquid & definire possunt.
Hanc integram sententiam vel malitiose vel oscitanter prætermisit Loaisa in Codice illo à se edito, cum tamen & in Concilijs excusis habeatur & citetur à Durando Mimatensi Episcopo qui Speculator dictus est, libello de modo generalis Cōcilij celebrandi parte 2. rubrica 11. Verũ autem illud est Prebyteros in Concilijs adesse, illosque consuli & sententiam de rebus propositis ferre, vt memorat Isidorus, confirmatur Concilij Toletani 11. c. 1. vbi Patres statuunt in Cōcilio non esse contentiosis vocibus sensus audientium turbandos, sed quidquid aut consultationibus considentium agatur, aut ab accusantium parte proponatur, mitissima verborum relatione proferendum. Voces istas, Consultationibus considentium, retinuimus ex vulgata lectione tum in Concilijs editis, cum apud Iuonem p. 4. c. 245. & Gratianum 5. 44. c. In loco, nec non Speculatorem loco citato. Concilijs autem consedisse Presbyteros Parochianos plus satis hactenus vidimus, Consultores itaque fuisse nemo sani capitis negabit. Omitto tritum illud apud Iuris Pontificij peritos, cum Dioe-

cesis olim dicta sit Parochia, Episcopum iure nominari Parochum & quidem Summum, vt Episcopos tum priscis Cõcilijs cum Impp. legibus Sacerdotes, simpliciter, appellatos legimus, quæ nomenclatura parochis ipsis competit, quemadmodum indicauimus suprà c. 3. Quapropter dum Episcopos Concilijs adesse audimus, hoc etiam nomine parochos interesse iudicamus.

Sed vt eò redeat vnde defluxit oratio, post Anacleti decretum de constituendis per oppida & vicos Paroecis, quales paroeciæ designatæ sint initio & cuius auctoritate extra Romam ipsam explicemus. Dionysius P. Rom. de quo antea, Epistola 2. ad Seuerum, post principium aliquantum, scribit vt quod ad Ecclesias Parochianas vel parochiales, vt alij legũt, spectat Seuerus ipse per prouinciam Cordubensem sequatur ordinem quem instituisset idem Dionysius in Vrbe Roma. Ac ne quis putet voluisse Summum pontificem apud Hispanos tantum, hoc suum seruari statutum, idem vbique & apud omnes fideles valere præcipit eadem Epistola, his verbis. Hanc quoque normam charissime te & omnes Episcopos

ſe qui conuenit, & quod tibi ſcribitur omnibus qui buſcunque potueris notum facies, vt non ſpecialis ſed generalis fiat iſta præceptio. Hactenus Paroecias & Paroecos à prima ſui origine deduximus, nunc priſcum vſum eorum in diuerſis Prouincijs explicemus.

Ac quoniam innatus atque inditus amor Patriæ, facilius & citius mentem manúmque occupat, à noſtra Gallia ordiri placet, atque ab Ocello Galliæ, Galliarúmque Gallia, Lutetia, ſic eam vocare liceat non minus rectè quàm Græci ſuas Athenas dum florerent Ocellũ Græciæ & ἑλλάδος ἑλλάδα nominare voluerunt.

Hilduinus San-Dionyſianus Abbas, ſiue Matricularius, qualem ſe vocat, ſub Ludouico Pio Caroli M. filio, in Areopagiticis refert D. Dioniſiũ Areopagitã Pariſiorũ primũ Epiſcopũ, ſuum habuiſſe Archipresbyterũ Ruſticũ vt & Eleutheriũ Archidiaconũ: notũ eſt Iure Canonico & ratio ipſa conuincit *Archipresbyterũ* dici qui alijs præſit Presbyteris, quos idcirco Lutetiæ plures fuiſſe neceſſum eſt, quorum hoc demum munus fuiſſe oportuit facere & baptiſare, nouorũ Chriſtianorum ſalutem ſacris ritibus & me-

dijs curare. Istud etiã vero simillimũ apparet ex eo quod Hilduinus ipse tradit, non modo D. Dionysium Episcopũ vna cum Archipresbytero Rustico & Eleutherio Archidiacono martyrium subiisse, sed permultos etiam Ciues Lutetianos ad Christum D. Dionysij & suorum opera conuersos iussu Præfecti Galliarũ supplicio affectos fuisse. Sic enim Hilduinus, Tantáque multitudo fidelium quæ per eum crediderat, eodem die cum illo & in circuitu Ciuitatis pro Christi nomine cæsa, & diuersissimis ac antea inauditis suppliciis est adiecta, vt Parisijs videretur impletum, quod de Hierusalem Prophetico vaticinio fuerat peroratum: posuere mortalia seruorum tuorum in circuitu eius, & non erat qui sepeliret. Ex quibus liquido constat D. Dionysium quod Romæ ex D. Petri institutione sub Clemente. P. Rom. factitatum viderat, idem statuisse Lutetiæ, & pro multitudine Populi Fidem Christianam amplectentis, cum nec ipse Episcopus, nec Archipresbyter huic muneri obeundo pares essent, Presbyteros instituisse & adhibuisse qui conuersos ad Christum aqua salutari abluerent & Sacramentis pascerent. Hæc rudia

quidem & inchoata nostrarum Parœciarum Lutetianarum principia, imperfecta fateor, sed qualia tunc temporis Romæ, cum nondum & Anacletus & Dionysius PP.R R. extarent, qui parœcias Romæ nō tantum absoluerunt, sed alijs per Orbem Christianis formam constituendarum præscripserunt. Si enim, vt Gallicani Episcopi ad Leonem M.P. Rom. scribunt, post Epistolam 49. Leoninam, ab Apostolica Sede seu Romana Ecclesia, relligionis nostræ Catholicæ, propitio Christo fons & origo, in Gallias dimanauit, quidni & eiusmodi politiæ Ecclesiasticæ rationem formámque ab eadem ad nostros profluxisse credemus, quamque à nostris Gallis tenacius sinceriusque retentam fuisse, tot Concilia Gallicana, Capitularia, Historiæ Gallicæ fidem faciunt ac planè conuincunt.

Nihilominus Parœciarum vsum praximque in variis Galliarū Prouinciis ex varijs Concilijs Gallicanis paulisper obseruemus. Cōcilium Vasense 2. sub Leone 1. PP. & Clodione R. Francorū in gratiā Paroecorū seu Rectorū Parochiarū sic statuit c. 2. Hoc etiā pro ædificatione omniū Ecclesiarū & pro vtilitate totius po-

puli nobis placuit, vt nō solū in ciuitatib⁹, sed etiā in omnibus parochijs verbum faciēdi daremus Presbyteris potestatē. Inscriptio huius Canonis est. Vt Presbyteris prædicādi potestas suis plebibus cōcedatur. Concil. Vasensi 1. c. 3. Per singula territoria Presbyteri id est Paroeci, monentur ab Episcopis per singulos annos Chrisma petere, Gratian. d. 95. & de consecrat. d. 4. ex Concilio apud Valentias citat Conciliū Aurelianense 3. sub Childeberto R. c. 5. Meminit parochiarum & Basilicarū in pagis Ciuitatum constitutarum. Et c. 18. aperte Dioeceses vocantur etiam ipsæ Paroeciæ, vt adnotauimus suprà c. 1. Concil. Aurelianensi 4. c. 11. Si quid Abbatibus, aut sacris Monasterijs, aut Parochijs pro Dei fuerit contemplatione collatū, in sua proprietate hoc Abbates vel Presbyteri minimè reuocabūt. Eiusdem Concilij c. 26. illud valde memorandum legimus Parochias in potentum domibus constitutas, vbi obseruantes Clerici ab Archidiacano Ciuitatis admoniti corrigantur secundum Ecclesiasticam disciplinā. Aurelianensi 5. c. 8. Paroechiarum mentio fit vt & Lugdunensi 1. c. 6. Concil. Antissiodorensi c. 2. Monentur Presbyteri & Parocci vt ante

Epiphaniam Missos suos.j.nuntios, dirigant, qui eis de principio Quadragesimæ nuncient,& in ipsa Epiphania ad populum indicent. Concilio Cabilonensi 1.sub Clodoueo 2. Rege c. 5. eleganter illud. Sæculares vero qui necdum sunt ad Clericatum conuersi res Parochiarum vel ipsas Parochias minime ad regẽdum debeant habere commissas. Ibidem c.7. Vetant Episcopi ne quid rerum Paroeciæ minuatur defuncto paroeco. Annon Paroecia vna cum Ecclesia Paroeciali intelligenda est hoc versu Ausonij, Epistola 23 ad Paulinũ. Celebrique frequẽs Ecclesia vico. Cõcilio Carpentoractẽsi. Quidquid Parochijs fuerit derelictum, Clericis qui in ipsis Parochijs deseruiunt, vel reparationib⁹ Ecclesiarũ rationabiliter dispensent Episcopi. Diuus Sulpitius Bituricensis Episcopus Epistola ad Verum Rutenicæ vrbis Episcopum meminit Paroeciæ cuiusdam, in illa Dioecesi quam Aronnacum vocat. Est autem illa Epistola ordine quinta inter eas quæ ad Desiderium Cadurcensem Episcopum scriptæ leguntur. Sæculum Caroli Magni non est quod excutiam quo res nimium nota, vt & sequentibus sæculis sat sit si

Capi-

Capitularibus eiuſdē Caroli M. locū inſignē proferā de Maiorum noſtrorū erga Parœcias ſollicitudine. Capitular. lib. 1. c. 71. Placuit nobis admonere Reuerentiam veſtram, vt vnuſquiſque veſtrum videat per ſuā *Parochiam*, vt Eccleſia Dei ſuum habeat honorem, ſimul & altaria ſecundum ſuam dignitatem venerentur, & non ſit domus Dei & altaria ſacrata peruia canibus, & vt vaſa ſacrata Deo cū magna veneratione habeantur, & vt Sacrificia ſanctificata cum magna diligentia ab eis colligantur qui digni ſunt, & cum honore ſeruentur, & vt ſæcularia negotia vel vaniloquia in Eccleſijs non agātur quia domus Dei domus Orationis debet eſſe, non ſpelunca latronum, & intētos habeant animos ad Deum quando veniunt ad Miſſarum ſolemnia, & vt non exeant ante completionem benedictionis Sacerdotalis. Citatur in editione veteri, ſeu Legis Francicæ c. 67. Ac nequis ad Epiſcopos hæc ſpectare putet, titulus Capituli omnem ſcrupulum adimit, Aliquid Sacerdotibus, aliquid omnibus. Hi nimirū Sacerdotes intelligēdi qui nobis ſunt Parœci. Et paulò poſt c. 82. dicuntur mitti per Parochias ad re-

gendum & prædicandum per Ecclesias populum Deo seruientem.

Antiquissima in cæteris Prouincijs Parœciarum nostrarum vestigia persequamur, atque ab Italia ducemus initium. Anacleti & Dionysij PP.RR. scita, in Italia potissimum seruata esse S. Sedis vicinia satis comprobat. Testatur etiam id quod scribit Innocentius 1. P. Rom. tempore D. Augustini, Epistola 8. ad Florentium Tiburtinum Episcopum, de Nomentana *Paroechia* ab eodem Florentio in aliena Diœcesi vsurpata.

Idem Epistola 1. quæ est ad Decẽtium Eugubinum Episcopum c. 5. vbi docet in Vrbe & territorio Romano nullas esse Paroecias rusticanas, sed Vrbanas duntaxat, quibus Titulorum appellatio tribuitur. Et quoniam locus maximè firmat sententiam illam, de Ecclesijs Romanis, seu Titulis, videlicet illos nõ alios extitisse quàm Parœcias, prout à nobis vsurpantur, adscribam verba. De fermento verò quod die Dominica per Titulos mittimus superfluè nos consulere voluisti, cùm omnes Ecclesiæ nostræ intra ciuitatem sint constitutæ. Quarum Presbyteri, quia die ipsa propter Plebem sibi cre-

ditam nobiſcum cōuenire non poſſunt, idcirco fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt vt ſe à noſtra Communione maximè illa die non iudicent ſeparatos, Quod per Parochias fieri debere non puto. Omitto quod Concilio Ticinenſi apud Inſubres dictum de ijs qui ad gubernandas Plebes legitimè prouecti ſunt, Concilio Foroiulienſi c.6. ſtatuitur Parœcis indicandum eſſe quid ſentiant vel vicini vel maiores natu loci alicuius de affinitate eorum qui matrimonium inter ſe contrahere cupiant. c. 13 non nihil de Parœcis. Pelag. 2. Epiſtola ad Creſcon. Illuſtr. meminit Parœciarum Siciliæ, vt & Epiſtola ad Bonū Epiſcopum Sauinatem Alij Gelaſij iſtud eſſe dicunt, cuius eſt & hoc de Parochijs Epiſtola ad Maximum & Euſebium Epiſcopos.

In Affrica Parœcias vſu receptas commemoratur Cōcilio Carthaginenſi 3. c. 42. Quid aliud ſignificant Plebes quæ in Dioecceſibus ab Epiſcopis retinentur, quæque Epiſcopum nunquam habuerunt, quàm Parochias quæ maximo hominum concurſu & conuentu conſtarēt? Et certè licet hoc loco deprehēdere am-

birionem aliquam harum Plebium quæ cùm essent numerosæ, non iam sibi Presbyteros, sed Episcopos præesse voluerũt. Id refertur c. 20. Concil. Affrican. & ca. 54. Concil. Carthag. Græc. Capite quadragesimo quinto eiusdem Concilij & Affricani apparet vel maximè Ecclesias Affricanas vel ab Episcopis vel a Presbyteris regi solitas, & eæ posterioris generis Parochiæ erant quæ Dioeceses etiã vocantur c. 42. antecedente. Quod extat Affricani Cõcil. c. 20. & 22. & c. 46. eiusdem Concilij 3. Carthag. repetita vox Dioeceseos pro Parochia, & ad institutũ quidem iis verbis. Audiuimus constitutum vt Dioeceses nõ mereantur Episcopos accipere nisi cum consensu eius sub quo fuerint constitutæ. Paulo post. Singulis Episcopis seruatum est quod decebat vt ex massa Dioeceseum nulla caperetur vt proprium Episcopum habuisset nisi ipse consensum adhibuisset concedendi. Sufficiat enim si consenserit vt eadem Dioecesis permissa proprium tantum habeat Episcopum, & cæteras sibi non vendicet Dioeceses quæ exempta de fasce multarum sola meruit honorem Episcopatus suscipere. Concilij Carthagi-

nensis 4. c 33. de Paroecis ita statuit vt & de Episcopis. Episcopi vel Presbyteri si causa visitãdæ Ecclesiæ ad alterius Ecclesiam venerint in gradu suo suscipiantur, & tam ad verbum faciendum quam ad oblationem consecrandam inuitentur. Tum c. 102. eiusdem Concilij. Ad reatum Episcopi pertinet vel Presbyteri qui Parochiæ præest, si sustentandæ vitæ præsentis causa, adolescentiores viduæ vel Sanctimoniales Clericorum familiaritatibus subiiciantur. Monuimus supra D. Leonẽ I. P. R Epistola 86. ad Episcopos Affricæ c. 2. veluti repetito Anacleti decreto parœcos, vbi Minores essent plebes, minoréſque Cõuentus, cõstituendos sanciuisse. D. Augustinus lib. 14. de Ciuitate c. 24. meminit Presbyteri cuiusdã id est paroeci nomine Restituti in Paroecia Calamẽsis Ecclesię. Narrat Seuerus Sulpitius Dialogo I. de miraculis B. Martini c. ad littus Affricæ Cyrenaicum tempestate delatum se ad senem quendã Presbyterũ diuertisse, & cum eo ad Ecclesiam nimirum Paroecialem, quæ ferè duobus millibus a domo senis aberat processisse. Cuius quidem Ecclesiæ morumque gentis illius Cyrenensis descri-

ptionem elegantem habes iis verbis. Erat autem Ecclesia vilibus texta virgultis, non multo ambitiosior quàm nostri hospitis tabernaculum, in quo nisi incuruus quis non poterat consistere. Cùm hominum mores quæreremus, illud præclarũ animaduertimus, nihil eos neque emere, neque vendere, quid sit fraus aut furtum nesciunt. Aurum atque argentum, quæ prima mortales putant, neque habent neque habere cupiũt. Nam cum ego Presbytero illi decem nummos aureos obtulissem, refugit, altiore consilio protestatus Ecclesiam auro non strui, sed potius destrui: aliquantulum ei vestimentorum indulsimus. Quod cùm ille benignè accepisset, reuocantibus nos ad mare nautis, discessimus.

In Hispania docuimus antea Dionysiũ P.R. Epistola 2. quæ est ad Seuerum Episcopũ il ũ ipsũ monuisse vt Ecclesias Parochianas per Cordubensem prouinciã in Hispania constitueret. Id ipsum refert Burchard. lib. 3. c. 43. & Iuo p. 3. c. 47. Ad parœcias Hispanicas spectãt hæc, Primũ quod Concilio Eliberitano, quod præcessit Nicenam primam Synodum, viginti quatuor Presbyteri subscripserunt,

nec alii ſunt intelligendi quam Parœci vt inſcriptiones ſatis apertè fidem faciũt, Nam quid ſibi vult hoc, Reſtitutus presbyter de Elepel, niſi qui parœcus erat huius loci? ita eodem loco vocãtur. Natalis presbyter de Orſuna, Maurus Presbyter de Illiturgi, Lamponius Presbyter de Karula &c. Concilio Toletano primo c.5. Presbyter vel Diaconus vel Subdiaconus vel quilibet Eccleſiæ deputatus Clericus ſi intra Ciuitatem fuerit vel in loco in qua Eccleſia eſt aut Caſtello aut vico aut villa, & ad Eccleſiam ad Sacrificium quotidianum non acceſſerit, Clericus non habeatur, ſi caſtigatus, per ſatisfactionem veniam ab Epiſcopo noluerit promereri. Obſeruãdum in primis Eccleſiam in Caſtello, vico, aut villa; non aliã intelligi poſſe quàm parœcialem, cum ex veteri diſciplina in locis eius generis Eccleſiæ Epiſcopales minimè conſtruerentur. Poſtremo licet aduertere pietatis Chriſtianæ illo ſæculo feruorem, quo ſingulis diebus Sinaxes & Conuẽtus ad Sacram Liturgiam habebãtur, quibus omnes Clero adſcripti, ſeu qui eius loci eſſent, ſeu peregrini, tenebantur intereſſe. Refert huic Canoni perſimilem alterum

Martinus Bracarensis Collectionis c.63. Concilio Tarraconensi c.8. scitum est vt annuis vicibus ab Episcopo Dioeceses visitẽtur. Vbi *Dioecesim* pro *Paroecia* vsurpari palam est, ita initio huius Capitis Dioecesanæ Ecclesiæ id est Paroeciales vocãtur. Cõcilio Hispalensi 3.c.1. Antiqua illa vrbis Malacitanæ Paroecia, cuius partẽ aliquam sibi retinuissent Astigitanus Eliberitanus & Agabrensis Episcopi, nostro vulgari significato intelligẽda videtur, sicut Parœcia illa de qua inter Fulgentium Astigitanum & Honorium Cordubensem Episcopos controuersia erat, quemadmodum differitur Capite 2. eiusdem Concilij, licet Gratianus citet illud ex Innocentio P.R.1.6.q.3.c.6. Isidorus Hispalensis Episcopus, qui Concilio Hispalensi 2. præfuit, sæpius meminit Paroeciarum Hispanicarũ, & aliquid adnotauimus de hac re suprà c.3. cum de Archipresbyteri appellatione ageremus, ac meminit apertè Epistola ad Ludifredum Cordubensem Episcopum Concil. Bracarens.1.c.3. Cõcilio Lucensi. Braccarens.2. c.2 Canoni Tarraconẽsi paulo ante memorato similis est alter Canõ Concil. Toletani 4.c.35. Episcopum per

cunctas Dioeceses Parochiasque suas per singulos annos ire oportet vt exquirat quo vnaquæque Basilica in reparationẽ sui indigeat. Cõcilio Ilerdensi c.10. vt refert Gratia.2.q.5.c. Presbyter. Burchard. lib.2.c.184. Iuo p.6.c 229. vbi agitur de purgatione Canonica Paroeci mala opinione infamati. Cõcilio Toletano 9.c.2. Ecclesiæ Paroechiales disertè nostro more nominantur, & eo capite de Iure patronatus agitur, & quantum ei Episcopus tribuere debeat, quod nos alio opere monuimus. Eiusdem Concilij c.6. statuitur quæ de rebus Parochialum Ecclesiarum pars Episcopo persolui debeat, vt Concilio Toletano 16. c. 4. iis verbis, Vnio nostræ congregationis decernit atque instituit vt tertias quas antiqui Canones de Parochijs suis habẽdas Episcopis censuerunt, si eas exigendas crediderint, ab ipsis Episcopis dirutæ Ecclesiæ reparentur. Concilio Toletano 10. satis acerbè carpuntur Episcopi nonnulli Hispani qui Ecclesias Parochiales miserè diuexarent. Cõcilio Cęsaraugustano idẽ firmatur. Sed antequam Concilij Canonem proferam Loaisæ Hispani insignẽ stuporem satis mirari non possum, qui

Concilium iſtud habitum ſcribit circa illa tempora quibus Eliberitanum, ſed hoc poſterius vel ex eiuſdem Loaiſæ ſupputatione collectum eſt eodem tempore quo Concilium primum Nicænũ, quod & Hiſpani ſcriptores pene omnes tradunt, licet Onuphrius hiſtoriꝯ Eccleſiaſticæ pater Concilium Elibertinum ſeu Eliberitanũ præceſſiſſe velit Nicænam Synodum primam vniuerſalem annis duodecim, quod illud incidat in annũ Chriſti. 313. Nicenum vero Concilium in annum 325. At ex chronico Cõciliorũ Hiſpanicorum ipſius Loaiſæ, Cæſarauguſtanum habitũ eſt anno Chriſti 380. Eliberitanum anno Chriſti 324. Quid igitur efficiet cum ait Cæſarauguſtanum circa tempora Eliberitani Concilii coactum, cum interuallum ipſe adſignet quinquaginta & ſex annorum: & id firmat cum æram 362. adſignet Eliberitano, & 418. Cæſarauguſtano. At cuiuſmodi hæc hominis opinatio qui Ithacium & Idacium Epiſcopos, inter Patres huius Concilii numeratos, illos agnoſcit, qui Priſcilliani damnationem velut actores procurarũt? quod certe verum, & id teſtatur Sulpitius Seuerus lib. 2. hiſtor. At Proſpero

Priſcillianus damnatus Synodo Burdegalẽſi anno Chriſti 388.& Synodus Cæſarauguſtana paucis annis ante habita eſt, Nicæna vero apud Euſebium coacta eſt anno Chriſti 323.Itaque ſexaginta annorum & eo amplius interſtitio diſcrepabit Cæſarauguſtana ab Eliberitana.Sed non ago pluribus cum hæc & multo plura longe ineptiora,vt præteream incredibilem hominis in noſtros Gallos debacchandi pruriginem, meritiſſimè caſtigauerit vir ſummè eruditus Franciſcus Pithoeus, cuius animaduerſiones iſtas & eruditiores notas vna cum Conciliis Gallicis quamplurimis nondum editis, quæ penes ſe habet, Gallia vniuerſa expetit. Canone itaque ſecundo Concilii iſtius Cæſarauguſtani ſic ſancitum. De Quadrageſimarum diebus ab Eccleſiis non deſint fideles, nec habitent latibula cubiculorum ac montium, qui in his ſuſpicionibus perſeuerant; ſed exemplũ & præceptum cuſtodiant Sacerdotum, & ad alienas viuas agendorum cõuentuum cauſa non conueniant. Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt. Anathema ſit qui hoc commiſerit. Conuentus iſti nonniſi Paroeciales intelligendi, & firmatur id per-

ſimili loco apud Theodulphum Aurelianenſem Epiſcopum, Epiſtola ad Paroecos Aurelianenſes, de qua re pluribus in noſtra Quadrageſima. Deinde conuentum illum in alienis villis haberi vetant Patres, non autem in proprijs, At in villis quæcunque illæ ſint, Epiſcopatus non conſtituebantur, vt patet ex veteribus, & nos plura libro de auctoritate Epiſcoporum: itaque nonniſi Parœciæ intelligendæ ſunt. Paroeci alia mentio Ilerdenſi Concilio vt refertur de Conſecrat. d. 4. c. Omnis Presbyter. Addo Toletanam Eccleſiam Metropolitanam, poſt vrbem expugnatam a Sarracenis, conuerſam fuiſſe in Parœciã, cui Sacerdos præerat, quo tempore Chriſtiani illi Mozarabes, id eſt Arabibus mixti nuncupati ſunt, vt Hiſpani ſcriptores teſtantur.

Quales Parœciarũ Rectores eſſe debẽt docet Concil. Toletan, 4. c. 25. apud Iuonem etiam part. 3. c. 129. Quãdo Presbyteri in *Parochiis* ordinantur libellum officialem, Manuale vulgò, à ſuo Sacerdote accipiant, vt ad Eccleſias ſibi deputatas inſtructi ſuccedant, ne per ignorantiam etiam in ipſis diuinis Sacramentis offendant, vt quando vel ad Litanias vel ad

Concilium venerint, rationem Episcopo ſuo reddant, qualiter ſuſceptum officium celebrent vel baptiſent. Concilio Arelatenſi ſub Carolo M. in Gallia. c. 4 idem habetur. De Parœcijs Hiſpanicis legere potes præſertim Concilii Toletani tertij Can. 4. & Toletani 4. c. 35.

Apud Orientales inueſtigemus quænam extiterint Parochiæ. In Ægypto apud Alexandriam, vrbem nobiliſſimã, Parochias extitiſſe vel priſcis etiam temporibus docet Nicetas Choniates lib. 5. Orthodoxæ Fidei c. 1. Ait enim in Alexandria & vicinis locis multas eſſe Eccleſias, quæ quamuis in Alexandrini Epiſcopi ditione ſint, illas tamen priuatis Presbyteris committi qui Paroeciam ſeu viciniam doceant, quarum in numero Baucalis Parœcia nominatur & eæ quæ à Sãctis Dionyſio, Theona, Pierio, Serapione, Perſea, Biza, Mundidio, Anianóque nomen acceperunt: ſcribitque Arrium peſtilentiſſimũ hominẽ, Scholæ Alexãdrinæ præfectum, Parœcum etiam Eccleſiæ Baucalenſis fuiſſe conſtitutum ab Achilla Alexandrino Epiſcopo, Alexandri, ſub quo Arrius tantas in Eccleſia Dei turbas excitauit, prædeceſſore.

Et quidem Nicephorus lib.8.c.ii.loquens de Alexandrina Ecclesia, ait ex cõsuetudine antiqua vnum quidem omnibus Presbyteris præesse Episcopum, Presbyteros autem ipsos suas regere Ecclesias, atque in eis populum congregatum pro concione docere. Istæ erant Paroeciæ Alexandrinæ, quarum licet subobscurè meminit Theodoretus lib.2.hist. Ecclesiast.c.8.& Tripart. lib.4.c.29. Idẽ vero Theodoretus Epistola ad D. Leonem Magnum P.R. in Cyrensi Dioecesi cuius ille erat Episcopus octingentas esse paroecias scribit. Interim video Cõcilio Calcedonens.actione 3. in libello Ischyrionis Diaconi ad Leonem Papam, mẽtionem fieri parochiarum, hoc pacto. Peristeria nobilissima fœmina, pro suæ animæ salute testamentum condens, iussit multam quantitatem pecuniarũ præstari Monasteriis, nec non etiam Xenodochiis & Parochiis: nisi legendum videtur *Ptochiis*, vt antecedens vocabulũ id satis indicat, & nos alio loco iure optimo emẽdauim⁹. Interim Orthodoxe & Catholice lector aduerte, iam priscis illis Ecclesiæ temporibus vsu recepta fuisse & maxima cum pietatis laude comproba-

ta, religiosa ista legata, & quidem pro animæ salute, vt perpetuam omnium sæculorum à Christo nato, de animarum post hanc vitam purgandarum loco cõsensionem omnes & suspiciamus & amplectamur. Cui & illud adiungam apud Procopium lib. 2. de bello Vandalico, Bellisarium tot barbaricis victoriis illustrem pro salute animæ Ioannis Romani cuiusdam ducis fortissimi qui casu interfectus fuerat, annui census redditum Ecclesiæ constituisse, sed hoc parergon.

Aliis etiam locis apud Græcos extiterunt Parochiæ, vt declarat Concil. Sardicense tit. 13. apud Fulgentium Ferrandum Ecclesiæ Carthaginensis Diaconum c. 92. hac versione Latina; Vt Presbyteri Ciuitatis sine iussu Episcopi nihil iubeãt, nec in vnaquaque *Parochia* aliquid agãt. Sanè Concil. Sardicense c. 13. Episcopis tempore messis & vindemiæ concessum est tribus septimanis ruri agere, ita tamẽ vt in Ecclesia quæ prope est, in qua *Presbyter* Populum congregat, id est vno verbo, in Parœcia vicina, Sacris vnà cum Populo intersint, mysticámque celebrẽt Liturgiam. Eiusdem Concilii c. 7. vetant Pares Episcopum aut in vico aliquo, aut

in modica ciuitate ordinari & constitui, sed vnum Presbyterum sufficere aiunt: Quem non alium quàm paroecum interpretari possum. Suprà excussimus in eam rem Canonem 17. Concilij Calcedonēsis, & Ecclesia Paroecialis idcirco significata videri debet de qua Iustinianus Cod. de Sacrosanct. Eccles. l. 26. cū statuit. Si quis Dominum nostrum Iesum Christum scripserit hæredem vel ex asse vel pro parte non adijciens Oratorium aut Templum vllum, manifestè videri ipsius Ciuitatis vel castelli, vel agri, in quo constitutus erat defunctus, Ecclesiā Sanctissimam institutam esse hæredem: Eodem sensu, eadem lege, contendo venerabilem locum in Ciuitate vel vicinia, in honorem reuerendissimi Archangeli vel Martyris constructum, imprimis Paroecialem Ecclesiam designare, quod fatentur Iurisconsulti non postremi nominis. Eodem pacto Cod. de Episcopis & Clericis l. 11. In Ecclesijs quæ in possessionibus, vt fieri adsolet, diuersorum, vicis etiā vel quibuslibet locis sunt cōstitutæ, Clerici non ex alia possessione vel vico, sed ex eo vbi Ecclesiam esse constiterit ordinētur. Ecclesias Paroeciales hîc designari satis

ri ſatis apertum: & ex ea lege manauit Gallicana conſtitutio, quemadmodum cenſuit vir doctus vt extranei & peregrini beneficiorum, eorum præſertim quibus animarum cura commiſſa eſt, in Gallia capaces minime exiſtant. Nouę Romę ſeu Conſtantinopoli Parochiæ plurimæ extiterunt & Parochi καζακοίλοι vocantur. Sic Curopalates lib. de official. Palatij Conſtantinop. ſecundo quinario, Protonotarius vocatur Catacœlorum Ianua, hoc eſt, per quem Parœcis pateat aditus ad Patriarcham Bizantinum. Dicti ſunt Parœci κατακοίλοι quaſi κατὰ τὰς κοίλαδας, iuxta valles, eo quod Eccleſiæ ipſæ Parœciales in editiore loco ſitæ eſſēt: erant enim Bizantij varij Colles in vrbe vt in Roma veteri, fidem faciente libello Notitiæ vtriuſque Imperij, initio, vna cum Georgio Codiuo in Originibus Bizantinis, Parœcia verò ſeu Populus ad eam Eccleſiā pertinens ἐν κοίλαδι, in valle habitabat.

Ni fallor Concilij Calcedonenſis Actione I. Presbyter ille Martyrij in Septimo, quod vnum erat è ſuburbijs Vrbis Cōſtantinopoleos, vt ſcribit Procopius, non alius quàm Parœcus venit intelligen-

dus. D. Chrysostom. homil. 9. in Ascensionem Domini recitata in æde Martyrum Romanesiæ, meminit Presbyteri huius ædis sacrę, quem Parœcum fuisse, ex eo quiuis vel tantilli ingenij coniicere potest, cum a D. Chrysostomo ὁ ποιμὴν καὶ διδάσκαλος, & Pastor & Magister vocetur, quod illius munus & officium erga populum sibi creditum facile indicat, atque ipsius & ardor fidei & animi magnitudo commemoratur ex eo quod Reliquias Martyrum à cadaueribus hæreticorum, quæ hac in æde condita erant, secreuerit, illis honestiore loco collocatis, his vero eiectis.

Verumenimuerò quoniam sæpius ex diuersis Conciliis Presbyteros in Parochiis ordinatos, iisque velut suis Titulis assignatos & deputatos commemorauimus, quoniam nonnulli dubitare possent an singuli singulis parœcis deputarentur, an si plures, quis Parœcus & Rector præ aliis diceretur. Obseruandum est initio vnamquamque Parœciam vnicum habuisse Presbyterum, qui nobis est Parœcus, quemadmodum ex rescriptis Dionysii & Leonis PP. RR. supra indicauimus, & hæc sequentia aper-

tiſſimè monſtrant. Concilium Pariſienſe ſub Ludouico & Lothario Lud. F. lib. 1.c. 49. tum initio Capitis, & ſub finem ita, Omnes in commune ſtatuimus decernentes vt ſingulæ Baſilicæ, Plebes & res, quibus conſiſtere poſſint habentes, ſingulos habeant Presbyteros. Concilium Emeritanum in Hiſpania c. 19. Singulis Eccleſiis Presbyteri per ſui Epiſcopi ordinationem præeſſe iubentur. Concil. Vormatienſ. c. 51. & refertur Capitul. Additione 2. c. 8. Statutum eſt vt vnaquæque Eccleſia ſuum Presbyterum habeat, vbi id fieri, facultas prouidente Epiſcopo permiſerit. In conſtituenda Eccleſia Paroeciali & Paroeco deſiderat Cōcilium iſtud vt & Pariſienſe ſuprà, facultates aliquas, quibus Paroecus vitam honeſtè tueri poſſit. De qua re ſic Conciliū Toletanum 16.c.3. Eccleſia quæ vſque ad decem habuerit mancipia, ſuper ſe habeat Sacerdotem, quæ verò minus decem mancipia habuerit, aliis coniungatur Eccleſiis. Sed ad inſtitutum, Concilio Rhemenſi c. 9. apud Iuonem part. 3. c. 49. Sicut in vnaquaque Eccleſia Presbyter debet eſſe, ita ipſa quæ ſponſa vel vxor eius dicitur non poteſt diuidi inter plures

presbyteros, sed vnum tantummodo habebit Sacerdotem, qui eam castè & sinceriter regat, vnde interdicimus vt nullus præsumat Ecclesiam inter duos vel plures diuidere, quia Ecclesia Christi vxor & sponsa esse debet non scortum sicut Calixtus papa testatur. Concil. Trosleianũ c. 6. Vnusquisque presbyter in sua ordinatione ac dispensationis cura habeat parochiam suam cum dote & decimis Ecclesiæ, videlicet cum sui Episcopi consilio ac dispensatione, secundum regulas antiquitus & diuinitus traditas. Sed illud obseruandum Episcopos nonnumquam presbyteros parœciales antea, postmodũ Cathedrales effecisse, quos vsitatiori vocabulo, Canonicos Cathedrales nuncupamus, ea tamen lege vt & ab Ecclesia Cathedrali nec non & parochiana simul stipendium acciperent. Ita enim vult Concilium Emeritense c. 12. licere Episcopis de parochianis presbyteris Cathedralem sibi in principali ecclesia facere, Et quamuis, inquiunt patres Concilii, ab Episcopo suo stipẽdii causa per bonã obedientiam aliquid accipiant, ab Ecclesiis tamen in quibus prius consecrati sunt, vel à rebus earum extranei non maneant, sed

pontificali electione, presbyteri ipsius ordinatione, presbyter alius instituatur, qui sanctum officium peragat & discretione prioris Presbyteri, victum & vestitum rationabiliter illi ministret, vt non egeat, aut si quæsierit qui ordinatur stipendium à suo presbytero accipiat quãtum dignitas officii eum habere expetat. Attamen crescẽte fidelium numero cum vnus presbyter tantæ parœcianorum multitudini sufficere non posset, plures ei in subsidiũ assignati sunt, ea tamen lege vt vnus præesset qui Rector siue parœcus appellatus est. Hæret mihi aqua in Capitulo 14. Concilii Emeritensis in Hispania, vbi patres statuunt vt quidquid pecuniæ à fidelibus in Ecclesia fuerit oblatum, fideliter collectum maneat & conseruatum, & fideliter Episcopo præsentetur: qualiter exinde tres partes fiant æquales, vnam Episcopus habeat, & alteram presbyteri & Diacones inibi deseruientes consequantur, & inter se, vt dignitas & ordo poposcerit, diuidãt: tertia vero Subdiaconibus & Clericis tribuatur, vt à Primiclero, iuxta quod in officio eos præscit esse intentos, ita singulis dispensetur. Sequuntur deinde hæc, Similis forma & de Pa-

rochitanis Presbyteris in Ecclesijs illis à Deo creditis erit seruanda. ex ijs verbis mihi nō leuis suspitio est, etiam Primicleridignitatem in Parœcijs reperiri nōsecus atq; in Ecclesiis Cathedralibus. Cōstat enim ex eo contextu similem formam seruandam pecuniȩ diuidendæ inter Clericos maiorum & minorum subselliorum in Parœciis atque in Ecclesiis Matricibus: sed nonnisi a Primiclero eæ distribuebantur in his Ecclesiis, Nec aliter igitur in illis scilicet Ecclesiis Parochialibus: At inter Presbyteros cæterosque Clericos ipsis Ecclesiis Parochialibus adsignatos, quis dignior nisi qui Rector, quem qui primiclerum vocaueritmihi nō aberrabit, is enim Primus è clero censendus cui Ecclesia credita vna cum cæteris Ministris & Plebe. Censuit Loaisa eundē esse Primiclerū atque primiceriū, sed ex Epistola Isidori Hispalensis ad Leudefredum Cordubensem, sacrarum pecuniarum seu partitio seu administratio, prȩter Episcopum, ad Archidiaconum aut Thesaurarium, vel denique Oeconomum spectabat, non autē ad Primicerium. Non est huius loci disquirere, quid Iuriscōsulti de hac voce primicerii scribant. Cum

autem multi poſtmodũ Parochiales præfecturas ambitiosè nimium ſectarentur, imò ſimoniacam adhiberent corruptelã, huic malo ita cautum eſſe voluit Synodus Ticinenſis, ea ratione vt ipſius loci presbyteri vel cæteri Clerici idoneum ſibi Rectorem eligant, deinde Populi qui ad eandem Plebem aſpicit, ſequatur aſcẽſus. Si autem in ipſa plebe talis inueniri non potuerit, qui illud opus competenter agere poſſit, tunc Epiſcopus de ſuis quẽ idoneum iudicauerit inibi conſtituat. Hinc factum eſt vt cum in aliqua parœcia plures eſſent Presbyteri præter parœcum & Rectorem, illi rationem ſui miniſterii reddere tenerentur ipſi Rectori, qui in nonnullis Conciliis vt Toletano 4. de quo ſupra, Sacerdos vocatur, cæteri vero preſbyterorum appellationem obtinent. Si Eccleſia parochialis ſatis amplos haberet reditus, cogebatur Presbyter Parœcus aliquot ſaltem Clericos ſibi adſciſcere qui illũ in diuinis officiis adiuuarent, ſic enim ſtatutum eſt Concilio Emeritenſi c. 18. Inſtituit hæc Sancta Synodus vt omnes Parochitani Presbyteri iuxta vt in rebus ſibi a Deo creditis ſentiunt habere virtutem, de Eccleſiæ ſuæ familia Clericos ſi-

bi faciant, quos per bonam voluntatem ita nutriant vt & officium sanctum dignè peragant & ad seruitium suum aptos eos habeant. Hi etiam victum & vestitum dispensatione Presbyteri merebuntur & Domino & presbytero suo atque vtilitati Ecclesiæ fideles esse debent. Domini vocem parœco attributam, non tam pro imperij erga Clericos auctoritate, quàm dignitatis & venerationis gratia explicandam esse censerem. Concilio Nannetensi c. 8. vel 9. apud Burchardum lib. 2. c. 56. quo loco & aliàs, Concilium Hanetense pro Nannetensi legitur, tum apud Iuonē part. 9. c. 152. Presbytero Parœco comes additur is qui *Scholæ* præsit. Vt quisque Presbyter qui plebem regit, Clericum habeat qui secum cantet & Epistolam & Lectionem legat, & qui *Scholam* possit tenere, & admoneat suos Parœcianos vt filios suos ad fidē discendā mittant ad Ecclesiā, quos ipse cū omni castitate erudiat. Quod Capitulum descriptum est Concil. Parisien. lib. 1. c. 30. nisi potius Cōcilium desumpserit hoc è Capitularibus, vt indicant verba illa initio huius capitis 30. Iamdudum a pio & orthodoxo principe Domino Ludouico Deo amabili Impe-

ratore iussum &admonitum est vt Rectores Ecclesiarum in Ecclesiis sibi commissis strenuos milites quibus Christus Deus placari posset præpararent & educarent. Idem apparet ex Capitularib. additione 2. c. 5. In hoc vniuscuiusque studium voluimus probare, vt quando ad prouinciale Episcoporum Concilium ventum fuerit, vnusquisque *Rectorum*, scholasticos suos eidem Concilio adesse faciat, quatenus & cæteris Ecclesiis noti sint & eius solers studium circa diuinum cultum omnibus manifestum fiat.

Theodulphus Aurelianensis Epistola ad parœcos suæ Diœceseos numero 20. eadem ferme, presbyteri per villas & vicos scholas habeant, & si quilibet fidelium suos paruulos ad discendas litteras eis cōmendare vult, eos suscipere & docere nō renuant, sed cum summa charitate eos doceant. Cum ergo eos docent nihil ab eis pretij pro hac re exigant, nec aliquid ab eis accipiant, excepto quod eis parentes charitatis studio sua voluntate obtulerint. Non hic ago de scholis, cum à nobis de ea re dicta sint non pauca Commentario de Episcoporum sacra auctoritate. c. 15.

CAPVT QVINTVM.

De Missa Dominicis diebus audienda.

MISSAS Dominicis & reliquis diebus festis audire, fidelibus lex Veteris Ecclesiæ præcipit, nec vnius duntaxat prouinciæ, sed omnium quotquot sunt, siue apud Latinos siue apud Græcos. In Oriente quidem Concilio Constantinopolit. 6. c. 8. Diei Dominici tāta debet esse obseruatio vt præter Orationes & Missarum solemnia & ea quæ ad vescendum pertinent, nihil aliud fiat. Nam etsi necessitas fuerit nauigandi siue itinerandi, licentia datur, ita duntaxat vt huius occasione Missæ & Orationes non prætermittantur. Paulò post. Concurrendum etiam est cum oblationibus ad Missarum solemnia. At si quis hunc germanum non esse Canonem sextæ Synodi Constantinopolitanæ asseueret, licet pertinaciter repugnantem me non habeat, tamen dicere possum & meritò ex antiquissimo aliquo Concilio desumptum esse, cuius rei fidem facit peruetustus ille

Codex, è quo deſcripſit Surius tom. 3. Concilior. Sed Concilij Trullani Canones 19. & 81. eiuſdem ſententiæ, legem hanc apud Græcos ſeruatam fuiſſe ſatis oſtendunt.

In Italia, Concilio Foroiulienſi ſub Carolo & Pipino c. 13. Diem Dominicum inchoante noctis initio, id eſt veſpere Sabbathi, quæ in prima luceſcit Sabbathi, quando ſignum, id eſt Campana vt vulgò, inſonuerit, vel hora eſt ad veſpertinum celebrandum officium non propter honorem Sabbathi vltimi, ſed propter ſanctam illam noctem primi Sabbathi hoc eſt Dominici diei cum omni reuerentia & honorifica relligione venerari omnibus mandamus Chriſtianis. Abſtinere primum omnium ab omni peccato & ab omni opere carnali, etiã à propriis coniugibus, & ab omni opere terreno, & nihil aliud vacare niſi ad Orationem, cõcurrere ad Eccleſiam cum ſumma mentis deuotione, ceſſante omni cauſarum ſtrepitu.

In Hiſpania, Concilio Emeritenſi c. 19. Salubri deliberatione cenſemus vt per ſingulas Eccleſias in quibus Presbyter iuſſus fuerit per ſui Epiſcopi ordina-

tionem præesse, singulis diebus Dominicis, sacrificium Deo procuret offerre. At vero ne quis existimet ad Sacerdotem Parœcum hoc duntaxát spectare, frustra illud est, ecquid enim Parœcus Dominica die Liturgiam celebrare iubetur, an sui ipsius causa, ridiculum, itaque Populi sibi commissi qui cò conuenire debet.

In Gallia Concilio Agathensi c. 47. Missas die Dominico sæcularibus totas audire, speciali ordine pręcipimus, ita vt ante benedictionem Sacerdotis egredi Populus non præsumat. Concil. Aurelianens. 3. c. 18. Concil. Matisconens. 2. c. 1. Si quis vestrum proximam habet Ecclesiam properet ad eandem, & ibi Dominico die semetipsum precibus lachrimisque afficiat.

In Germania vt & Gallia locum habuisse præceptum eiusmodi, apparet non modo ex Cōcilijs illis Gallicis quæ apud Germanos recepta sunt, sed etiam Germanicis. Capitularia Caroli M. & posterorum, Germanis æquè ac Gallis scripta sunt, at ijs mentio fit eius præcepti, vt sequenti Capite ostendemus. Extat Capitul. veteris Editionis, seu Leg. Franci c. lib. 4. c. 46. Vt in diebus Festis vel Do-

minicis, omnes ad Ecclesiam veniant & non inuitent Presbyteros ad domos suas, ad Missam faciendam. Concilio Tribu-riensi c. 35. Diebus Dominicis & sancto-rum Festis, vigilijs & orationibus insistē-dū, & ad Missas cuilibet Christiano cum oblationibus est currendum, & tantum-modo Deo vacandum.

CAPVT SEXTVM.

De Missa in parœciali Ecclesia, Dominicis diebus audienda.

QVandoquidem hic causę cardo existit: seorsim & singulari Capite illum expendere propterea necessum fuit: In Ecclesia Parœciali Missam audiēdam Dominicis & reliquis festis diebus, ex veterum Conciliorum Canonibus primum demonstremus.

Concilio Sardicensi c. 11. Osius Episcopus Cordubensis, legatus Syluestri P. Rom. in Concilio Nicæno I. cui etiam præfuit, Recordemini, inquit, Patres in tempore præterito iudicauisse, vt si quis Laïcus in vrbe agens, tribus diebus Do-

minicis in tribus hebdomadibus nō conueniat, siue, *non celebret conuentum*, vt alij vertunt, communione moueatur, si Episcopus vel Clericus deponatur. Citatur paulò aliter in Codice Canonum ex versione Dionysij Exigui & apud Iuonem part. 5. c. 218. Osius Episcopus dixit, Memini superiori Concilio fratres nostros constituisse vt si quis Laïcus, in ea in qua commoratur Ciuitate, quatuor Dominicos dies, id est per tres septimanas non celebrasset conuentum, communione priuaretur. Superius Concilium quodnam illud sit, apud Iuonem, diuinare non possum, nisi quia superius appellat, idcirco Nicænum intelligamus: Sed cum in Canonibus quos nunc habemus eius rei nulla extet mentio, facilè adducor ex eo loco, vt credam multò plures extitisse Canones Nicænos quàm qui nunc circumferuntur. Veruntamen accuratius magisq; pensiculatè rem ipsam cogitanti mihi visum est potius decretum istud referēdum esse ad Concilium Eliberitanum in Hispania, cui interfuit ille idem Osius: Nam Eliberitanum Sardicensi prius esse nemo dubitat, de Nicæno sunt, qui dubitent, alij Nicænum posterius faciunt. Hîc

autem concepta est regula ista Ecclesiastica, de qua quæstio est, Concilij Eliberitani c. 21. Si quis in Ciuitate positus per tres Dominicas ad Ecclesiam non accesserit, pauco, alij legunt, tanto, tempore, abstineat, vt correptus esse videatur. Quod legit Gentiani Herueti versio, Patres in tempore preterito iudicauisse fideles tribus diebus Dominicis, si a conuentu publico abessēt, &c. iudicat & priscam illam esse legem atque adeò ante Concilij Nicæni 1. tempora, & fortè ex traditione Apostolica, vt hoc loco videtur innuere Balsamo, tum etiam conuentum illum non alium existere quàm Populi Christiani concursum ad sacrum Missæ seu Liturgiæ officium, vt colligere est ex D. Iustino Martyre, Apologia 2. in descriptione Missæ suis temporibus vsitatæ, denique in Ecclesia haberi solitum eiusmodi conuentum scribit Balsamo eo loci, & ad Canonem Octuagesimum primum Concilij Trullani, quoquidem idem planè ijsdem verbis cauetur.

Si quis Episcopus vel Presbyter vel Diaconus vel eorum qui in Clero enumerantur, vel Laïcus, nullam grauiorem habens necessitatem vel negotium diffi-

cile, vt a ſua Eccleſia abſit diutiſſimè, ſed in Ciuitate agens tribus diebus Dominicis in tribus ſeptimanis, vnà non conueniat, ſi ſit quidem Clericus deponatur, ſi verò Laïcus excommunicetur.

Ex illo verò Canone ſic liceat ratiocinari, cum ſub pœna excommunicationis, nulli qui in Ciuitate habitet, abeſſe liceat ab Eccleſia tribus Dominicis, alij etiam extra ciuitatem Conuentus & Parœciæ haberētur vt ex Canone 12. eiuſdē Concilij Sardicenſis antea didicimus, non eſt veriſimile maiorem in vrbe degentibus quàm in oppidis & pagis pœnam irrogatam eſſe propter ſacrum ad Miſſam conuentum neglectum: nec enim qui extra Ciuitatem exleges erant & à præcipua Eccleſiaſticæ diſciplinæ parte immunes. Itaque & Vrbanos & Ruſticanos Parœcianos Miſſæ Parœciali vbi publicus & legitimus Populi conuentus habetur, intereſſe debuiſſe, nec diutius quam duobus diebus Dominicis abeſſe, hinc colligimus.

Sed clariora videamus teſtimonia Veterum quibus cenſuerint fideles nullo alio loco Miſſam diebus Dominicis audire poſſe quàm in Parœcia. Capitul. lib. 5. c.

220. Io-

210. locus eſt elegãtiſſimus quo veterem ritum etiam hoc tempore apud nos ſeruatum aduertere licet, de ſupplicatione & veluti luſtratione quæ ſingulis diebus Dominicis, circa Eccleſiam fieri ſolebat, præeunte Parœco, ſequente Populo. Sic eſt conceptum Caput. Vt omnis Presbyter die Dominico, cum *Pſallentio*, ego more noſtro Proceſſionale explicarem, circumeat Eccleſiam ſuam vnà cum Populo, & aquam benedictam ſecum ferat, & vt ſcrutinium more Romano tempore ſuo ordinate agatur. Franciſcus Pithœus cuius reconditiorem eruditionem ſemper ſuſpexi & colui, in ſuo ad Capitularia valde docto Gloſſario, vbi ſcrutinij mentio haberetur deſignauit, nec tamen ſcrutinij iſtius Romani formam & modũ nobis deſcripſit, quem explicabo paucis, poſteaquam monuero, Concilium Maguntinum ſub Rabano 3 meminiſſe ſcrutinij illius in baptiſmo faciendi: Extat Epiſtola Alcuini de Ceremonijs Baptiſmi, ad Carolum Magnum, in qua docetur quid ſibi velit ſcrutinium, quo ritu, & & quoties fieret. In Scrutinio, inquit, facimus ſignum Crucis ſuper pueros, ſicut inuenimus ſcriptum in Romano or-

dine, & genuflexionem, & admirationẽ, fortè adiurationem, alias admonitionem, & docemus orationem Dominicam patrinos & matrinas, vt & ipsi similiter faciant quos suscepturi sunt a sacro baptismate: similiter docemus symbolũ. Scrutiniũ fit ante Pascha septies, Septies perscrutantur Cathecumenos, si ea fixa mẽte teneant quæ audierunt a Magistro. Et quodammodo quasi tenebræ fugantur a Cathecumeno vt in profectu scrutinij illuminentur ipsi Cathecumeni. Tandem scrutinium finitur Sabbatho ante Pascha, quo die fit septimum & nouissimum scrutinium sicut in Romano ordine inuenitur scriptum. Adnotat autem Alcuinus vnoquoque scrutinio, Orationem aliquã recitari, & qualis illa sit ex nonnullis, quas exprimit, indicat non alias esse omnes illas quam quæ apud nos in nostris ritualibus seu Officialibus libris habentur titulo de Baptismo: disertè meminit Alcuinus in septimo illo & postremo scrutinio huius orationis. *Nec te latet Sathana*, quæ legitur apud nos. Extat alia Epistola Alcuini ad Oduinum Presbyterum de ceremonijs baptismi Tom. 3. Bibliothec. Sãctorum Patrum, in qua nonnihil de scru-

tinio, sed nec ita copiosè & distinctè vt antea. Sunt autem ista. Fiunt Scrutinia in baptismo vt exploretur seruus an post renunciationem Sathanæ sacra verba datę fidei radicitus cordi defixerit. Post Alcuinum alij & scrutinij meminere, & quo pacto fieret descripsere, de quo aptius dicendum in nostra Quadragesima c. 15. Addam & illud pro auctario etiam in Episcopis consecrandis atque Presbyteris ordinandis scrutinium adhiberi solitum, vt apparet Decretal. libro 1. tit. de scrutin. in ord. faciendis. Concilio Nannetensi, c. 1. Dominicis & Festis diebus *Presbyteri* antequam Missas celebrent, Plebem interrogent, si alterius *Parochianus* in Ecclesia sit, qui proprio contempto Presbytero, ibi Missam velit audire, quem si inuenerint, statim ab Ecclesia eijciant & ad suam *Parochiam* redire compellant. Refert Burchard libro 2. c. 92. Iuo part. 2. c. 122. Eiusdem Concilij c. 2. Nullus *Presbyter* alterius *Parochianum* nisi in itinere fuerit, vel placitum, id est litem, vnde vox Gallica, ibi habuerit, ad Missam recipiat. Extat Capitular. lib. 1. c. 153. etiam apud Burchard. libro 2. c. 91. Concilium Rothomagense priscum c. 5. præcipit Sacer-

dotibus id eſt Parœcis, vt admoneant Plebes ſibi ſubditas vt bubulcos atq; porcarios, & alios paſtores vel aratores qui in agris aſſiduè commorantur vel in ſiluis, & ideo more pecudum viuunt, in Dominicis & in alijs Feſtis diebus ſaltem vel ad Miſſá faciant vel permittant venire.

Qua in re voluerunt Epiſcopi Gallicani non modò heros ipſos ſacris intereſſe, Feſto die, in Ecclesia Parœciali, verũ & viliſſimos quoſque ſeruos. Apud Burchardum libro 2. c. 71. Iuon. part. 2. c. 121.

Quam diſertè, quam apertè Guillemus Epiſcopus Parſienſis ante annos quadringentos, dum ſtatutis ſuis, illud addidit numero 10. Præcipitur quòd Presbyteri Parochianos ſuos qui tribus Dominicis continuis ſe ab Eccleſia ſua abſentauerint, ſine cauſa iuſta & neceſſaria, interdicant & ad Epiſcopum mittant interdictos. En maxima Parœcorum auctoritas, vt errones illos, ſuos Parœcianos, ſacris arceant ob nimis diuturnam à conuentu Parœciali, Dominicis diebus, abſentiam.

Inſignis locus de Eccleſijs Parœcialibus in quibus Populus Miſſam audire ſo-

leat, Concilio Cabilonenſi ſub Carolo Magno c. 19. & apud Iuon. p. 3. c. 198. Burchard. lib 3. c. 132. Queſti ſunt præterea quidem fratres, quod eſſent aliqui Epiſcopi & Abbates qui decimas non ſinerent dari Eccleſijs vbi illorum coloni Miſſas audiunt. Proinde decreuit ſacer iſte conuentus vt Epiſcopi & Abbates de agris & vineis quæ ad ſuum vel fratrum ſtipendium habent, Decimas ad Eccleſias deferri faciant, familiæ vero ibi dent decimas ſuas vbi infantes eorum baptizantur, & vbi per totum anni circulum Miſſas audiunt. Eccleſias illas baptiſmales, ad quas Populi concurſus fiat toto anno ſacri audiendi gratia Parœcias non eſſe qui dixerit nauiget Antyciram. Veteribus Parœciales Eccleſias dictas eſſe Baptiſmales & antea diximus, & pluribus dicemus capite vltimo. Nolo hîc quæſtionem attingere de Decimis Eccleſiæ Parœciali perſoluendis, res eſt alterius diſputationis. Gratian. citat perperam ex Concilio Maguntinenſi 16. q. 1. c. 46.

Cum fœliciſſimæ recordationis D. Ludouicus, bono Galliæ noſtræ publico natus, Alphonſo Fratri Pictonum Comiti Ioannem Raimundi Iunioris Toloſa-

tum & S. Ægidij Comitis filiam vnicam, vxorem tradidisset, qua ratione ijs Prouincijs quoad fidem Catholicam quam maximè cõsultum esse volebat. Nullam vel priorem vel magis congruam, euellẽdæ ex istorum hominum mentibus hæreseos viam rationémque esse putauit, quam si omnes Missæ Parœciali, vbi legitimus est Populi conuentus, ex sententia Concilij Agathen. c. 21. diebus Dominicis interessent, quibus Pastores, verè Pastores, Populum suæ curæ commissum recta doceant, vt non modò quid verè & sincerè credendum sit, sed etiam quàm probè & integrè viuendum intelligeret. Petrus de Bruis Parœcus, homo perditissimus & Henricus Monachus Apostata, eius comes, dum quærerent quæ sua erant non quę Iesu-Christi, in Missæ Sacrificium sacro-sanctum, in sacram Crucem, in Ecclesias & Basilicas, cæteráque eiusmodi furiosè debacchati, populum istum ità dementarant vt ab ijs rebus earûmq; commemoratione omnino abhorrerent. Sanctissimus D. Ludouicus, tria his in regionibus Concilia Prouincialia haberi curauit, quorum vnoquoque lata lex est de Missa Parœciali quolibet die Domini-

co audienda: vnde ſatis poſteros moneret homines prauo & impio errore faſcinatos, nec facilius nec commodius ad rectam & Catholicam fidem reuocari poſſe, quàm publicis illis Miſſę Parœcialis, Feſto die, conuentibus, quibus legitimi Paſtoris & qui hoc loco ac munere dignus ſit, vocem, quæ mera eſt Eccleſiæ vox, audirent. Sed horum Conciliorum Canones Gallicanos, de Miſſa noſtra Parœciali tandem proferamus: & quoniã quod à primo horum trium Cõciliorum decretum eſt, iiſdem verbis & eodem ſenſu repetitum eſt ab alijs duobus, Canonis vnius ſententiam audiamus.

Concilio Toloſano c. 12. Statuimus vt cuncti *Parochiani* tam viri quàm mulieres omnibus diebus Feſtis & Dominicis, quibus opus ſeruile interdicitur, ſacro Miſſæ aſſiſtant officio, & celebrationi horarum Canonicarum. Quod ſi nullo legitimo impedimento id neglexiſſe conuicti fuerint, duodecim denariorum ſolutione vnuſquiſque mulctetur, applicanda *Eccleſiæ* vſibus & loci dominis. Concilium Biterrenſe eodem tempore, præſide Epiſcopo Tornacenſi Apoſtolicæ Sedis Legato idem ſtatuit, quod etiam habet

Concilium Narbonense tunc temporis habitum.

Neque verò hîc subdubitet quispiam quod Ecclesiæ Parœcialis aperta mentio non existat, verba Canonis tam perspicuè illam demonstrant vt nihil manifestius esse possit. Primo loco, *Parochianos* nominat, quibus appellatio nusquam rectè & verè tribui potest nisi quantum ad Ecclesiam Parœcialem ijs communem & assignatam pertinent, tum omnes simul ad eandem Ecclesiam conuenire quid est, nisi ad propriam, quæ alia esse non potest quàm Parœciali? Præterea, si quisque Canoni satisfecisse se putet, dum die Dominica audit Missam, siue in hac, siue in illa Ecclesia, frustra esset illa indicta pœna pecuniaria absenti, qua enim ratione cõstare posset hunc vel illũ Missam die Dominico non audiisse, cum pro arbitrio, siue in Ecclesia Parœciali siue in alia, audire potuerit, quod non erit vnicuique manifestum imò fortasse nulli. Neque verò quenquam moueat quod hoc loco horarum Canonicarum fiat mentio, ac si in Parœcialibus Ecclesiis recitari minimè soleant, vetus ea Gallorum nostrorum disciplina fuit. Vnde Concilio Nan-

[illegible] c. 60. vt citant Burchardus lib. [illegible]. 54. Iuo parte 6. c. 181. in excuso Concil. Nannetensi viginti tantum Canones numerantur. Presbyter mane matutinali officio expleto, pensum seruitutis suæ canendo Primam, Tertiam, Sextam, Nonamque persoluat, ita tamen vt postea horis competentibus & signis, id est Campanis, designantibus iuxta possibilitatem aut à se, aut à scholaribus publicè compleantur. Ad nostrum Canonem Tolosanum redeo & omni asseueratione contendo Ecclesiam, quæ hîc nominatur non aliam intelligi quam Parœcialem, vt pote quæ Ecclesiæ nomen proprie sibi vendicet, à qua Paroeciani diuina sumant Sacramenta, in qua ipsi eorúmque liberi diuinitus renascuntur, apud quam suas, quas Deo consecrant, oblationes depo-nere debent, de qua re sequenti Capite, & cuius vsibus, non alienæ, quæque ad nos nihil spectat, mulcta illa absentium pecuniaria applicari debet.

Si Petrobrussianis siue Albigensibus hæreticis ad bonam frugem reducẽdis & resipiscentibus ita prospectum esse voluerunt Episcopi Gallicani, D. Ludouico Rege, vt Dominicis diebus, tremendis

Liturgiæ Sacræ myſteriis illi intereſſent in Eccleſia Parœciali, non minori ſtudio Epiſcopi Galliç non pauci hoc ſæculo, tum vt pios magis ac magis in auita illa & orthodoxa relligione confirmarent, alios verò non minori quidem impietate faſcinatos, ſed maiori ſcelere quam Albigenſes, ab errore reuocarent, tribus Conciliis Prouincialibus, Miſſæ Parœcialis Dominicis diebus audiendæ legem promulgarunt.

Concilium Senonenſe, Franciſco 1. Rege Maximo, c. 12. Admoneant frequenter Curati ſuos Parochianos vt interſint *Miſſæ Parœciali*, diebus Dominicis & Feſtis per hebdomadam occurrentibus. Quod ſi legitimo ceſſante impedimento, abſque licẽtia ſui Curati, per tres Dominicos neglexerint intereſſe *Miſſæ Parœciali*, denuncient ſtatim Promotoribus vt pro menſura contemptus vel offenſç puniantur. Docet Caput hoc neminem à M*iſſæ Parœciali* abeſſe poſſe abſque Parœci venia & conceſſu, tum etiam ſi quis per contemptum non abfuerit, non propterea tamen à peccato eſſe immunem, niſi ſi quis morbus ſonticus excuſet. c. 15. eod. Concilio. Item ne populus diſtrahatur à *Miſſa Parœciali* &

ab auditione mandatorum Dei & Ecclesiæ, prohibemus ne in Capellis ab antiquo etiam Episcoporum auctoritate fundatis aliæ Missæ celebrentur, quam illæ quæ de fundatione extiterint, & si quæ sint Missæ quæ ex tenore fundationis dici debeant die Dominico, non dicantur nisi post *Missam Parœcialem.* Paulò post, monentur Episcopi Prouinciæ Senonensis, ne facilè admittant fundationes Capellarum, quibus ordinatur celebratio Missæ. Dominico die, ea potissimum hora qua Populus vniuersus conuenire *debet* ad audienda Diuina præceptáque Dei & Ecclesiæ.

Sed nequis interim putet decretum istud de Missis aliis non dicendis, dum Missa Parœcialis celebratur, recens excogitatum esse, proferam simile quod ante annos septingētos, vt arbitror, factitatum scribunt Burchardus lib.2. c. 54. Iuo part. 2.c. 119. ex dictis Augustini, quod falsum, mallem ex Theodulpho Aurelianensi Episcopo, qui Ludouico Pio Imp. floruit, nam ex eius commonitorio, ad Presbyteros seu Parœchos Aurelianenses, apud eosdem Burchardum & Iuonem multa citantur nomine Augustini. Est igitur man-

datum eiusmodi. Et hoc attendendum est vt Missæ peculiares quæ per dies solemnes, (postea exponit, In Dominicis diebus siue in quibuslibet festiuitatibus) à Sacerdotibus fiant, non ita in publico fiant, vt per eas Populus à publicis Missarum solemnibus, quæ hora tertia Canonicè fiunt, abstratur. Paulò post. Admonendus est populus vt ante publicum peractúmque officium ad cibum non accedat, sed omnes ad sanctam Matrem Ecclesiam, Missarum solemnia & prædicationem audituri conueniant. Et vt Sacerdotes Missas celebrent hora tertia, vt Populus à publicis solemnibus non abstrahatur.

Eodem sæculo quo habitum Senonense, Germanicis Cócilijs tribus Colonięsi, Treuerensi & Maguntino idem statutum de Missa Parœciali audienda, diebus Dominicis & cæteris festis. Coloniensis duntaxat decretum referam, vt quod eleganter conceptum sit. c. 24. Docendus quoque Populus, vt qui, iuxta antiquum Ecclesiæ ritum, singulis Dominicis diebus ad communicãdum Corpori & Sanguini Dominico non se præparat; *Missæ* saltem *Parochiali* hisce aliísque

Festis diebus intersit, vt tametsi inter sacrificantem & assistentes non sit, more illo antiquo, tam frequens sacramentalis communio, sit saltem sacræ doctrinæ, piæ exhortationis, precationis, laudis & gratiarum actionis cōmunio, vt sic quodammodo omnes spiritualiter communicent, cum desiderio etiam sacramentaliter communicandi. Ne verò Populus ab hac *Missa Parœciali* & ab auditione verbi Dei distrahatur, placuerit nobis, vt si quæ sint aliæ Missæ legendæ, die Dominico, hæ inchoentur primùm post verbi prædicationem finitam.

In Italia & ea Insubrum parte quæ omnium nobilissima, Mediolanensi videlicet, Diœcesi, omni pietate & sanctitate cumulatissimus dum viueret, Cardinalis Borromæus Senior, Populum ad Missam Parœcialem concurrere & optauit semper & lege lata constituit. Concilio Mediolanēsi 4. concedit in Ecclesia Parœciali die festo Missas duas recitari, vnam in Aurora, alteram solemnem quo Populus vniuersus conueniat. Quod si, inquit, die festo etiam per illud Missæ sacrificiū, quod in Aurora fit, populus à *Paroeciali Missa* auocetur, tunc Episcopus illud etiā,

festo die, post Missam Parœcialem fieri celebrariue iubeat.

Sed ad Galliam nostram à qua tantisper diuertimus, tandem redeamus, superioribus annis Henrico 3. Galliæ & Poloniæ Rege, vno atque altero Concilio Prouinciali idem decretum promulgatum est.

Concilio Rothomagensi, Præside Illustrissimo Principe & Cardinale Borbonio Seniore, Titulo de Curatorum & alior. Presbyteror. ac Paroecianor. officijs c. 17. Dominicis & Festiuis diebus seruitium, ac præsertim Matutinæ si dicuntur, Missa solemnior & vespertinum officium certis & designatis horis, in regione assuetis fiat, vt omnis Populus intersit, nec diutius à familia absit. Capite sequēti 18. Ad seruitium Parœciale perficiendum præsertim Dominicis diebus & festiuis non solum *obligantur* Curati & Vicarii, sed omnes eiusdem Parœciæ Presbyteri qui illi adscripti sunt, sicut omnes *parochiani* ad audiendum. c. 19. Curati iidem diligenter animaduertant, si Parœciani Dominicis aut festiuis diebus, diuinis officiis intersint & de absentiæ caussis inquirāt, aut iubeant per aquem- pue-

rum abſentes obſeruari & notari, vt poſt admonitionem debitam quos nouerint pertinaces ad Epiſcopum deferant. c. 23. In Miſſis Charitatum atque aliarũ fraternitatum, ab antiquo conſtitutarum, nec aqua nec panis benedicantur, & inter illarum Miſſarum ſolemnia, moneatur non eſſe prætermittendas *Miſſas* p*aroeciales*, propter aſſiſtentiam in ea Miſſa, quæ ex deuotione & cõſilio celebratur. Quiſquis verò Presbyter in alia *Miſſa* quam p*aroeciali*, aquam & panem benedixerit ſit ſuſpenſus à diuinis. Rectè Concilium iſtud Miſſam in illis fraternitatibus ex deuotione & conſilio admittit, vt huic opponat Miſſam Parœcialem, quæ propterea diſcriminis ergô, ex præcepto erit, quod ſupra ſatis diſertis verbis expreſſum eſt. Concilium Rhemenſe, Præſide Cardinale Guiſio, Titulo de Diebus Feſtis c. 2. Diebus Dominicis & Feſtis in ſuas P*aroecias* Populus conueniat, & Miſſæ, Concioni ac Veſperis interſit. Poſteà c. 7. de aqua & pane in fraternitatibus nõ benedicendis idem cauetur quod ſuperiori Concilio Rothomagenſi.

Ea certè maiorum & eorum præſertim qui in Eccleſia auctoritate & dignitate

præſtabant cura & ſollicitudo fuit, vt nō modo Sacra ipſa, ſed vno nomine quidquid rerum in Eccleſia gereretur, id certo quodam ordine, ac ſine perturbatione fieret, omnis omnino denique ἀταξία vitaretur: quod toties Canonibus, qui Apoſtolorum nomine circunferuntur, repetitum legimus, Hinc fidelium ordines varii, variæ claſſes, varii & peculiares pro cuiuſque inſtituto conuentus. Hinc illud D. Gregorij, Concilio Laternenſi in Decreto de quiete, libertate, & exemptione nigrorum monachorum, Miſſas publicas ab Epiſcopo, in Cænobio fieri omnino prohibemus, ne in ſeruorū Dei receſſibus & eorum receptaculis, vlla popularis conuentus præbeatur occaſio, vel mulierum fiat nouus introitus, quod omnino non expedit animabus eorum. Elegans de ea re locus, quem Gratianus de Cōſecrat. d. 1. c. 52. & antea Burchard. lib. 2. c. 54. Iuo p. 2. c. 119. ex dictis Auguſtini citant, eſt autem Theodulphi Aurelian. Epiſcopi Epiſtola ad Paroecos c. 45. & 46. Miſſæ quæ per dies Dominicos peculiares à ſacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, vt per eas Populus a publicis miſſarum ſolemnibus, quæ hora tertia Ca-

tia Canonicè fiunt,abſtrahatur,quia peſſimus vſus eſt apud quoſdam, qui in diebus Dominicis ſiue in quibuſlibet feſtiuitatibus,mox vbi miſſam celebrari etiā ſi pro defunctis ſit, audierint, abſcedunt, vt per totum diem a primo mane ebrietati & comeſſationi potius quam Deo deſeruiant. Admonendus eſt populus vt ante publicum peractum officium ad cibum non accedat, & omnes ad ſanctam matrem Eccleſiam Miſſarum ſolemnia & prædicationem audituri conueniant, & Sacerdotes per Oratoria Miſſas, niſi tam cautè, ante ſecundam horam celebrent vt populus a publicis ſolemnitatibus non abſtrahatur. Sed ſiue Sacerdotes qui in circuitu Vrbis aut in eadem vrbe ſunt, ſiue populus, vt prædiximus, in vnum ad publicam Miſſarum celebrationem conueniant, exceptis Deo ſacratis fœminis,quibus mos eſt ad publicum nō egredi,ſed clauſtris Monaſterij contineri. Permulta hîc & præclara veteris Eccleſiæ noſtræ Gallicanæ ante annos ſeptingentos inſtituta obſeruare licet, ſed hæc alio loco excutientur.Maximi certè illud momenti quod teſtatur Innocentius I. P.R.Epiſtola ad Decentium Eugubinum

Episcopum c. 5. Romanos fideles Dominicis diebus ad suos titulos seu Ecclesias Parœciales conuenire solitos, non autem ad eam in qua Pontifex ipse Agēda celebraret. Proferam integram sentētiam licet antea prolata sit sed alio proposito, nunc verò validissimè nostram firmet sententiam de conuentu populi die Dominico ad Ecclesiam Paroecialem. De fermento verò quod die Dominica per Titulos, id est Paroecias, mittimus superfluè nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ intrà Ciuitatem sint constitutæ; Quarum Presbyteri quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum conuenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt, vt se a nostra communione, maxime illa die non iudicent separatos. Quod per Parochias fieri debere non puto quia nec longè portanda sunt Sacramenta, nec nos per Cœmeteria diuersa constitutis Presbyteris destinamus, & Presbyteri eorum conficiendorum ius habent atque licentiam. Interea quas Parochias disertè nominat, intellige rusticanas, vel vno nomine quæ extra vrbem essent. Ecquis modo in tan-

ta luce cæcutiat nisi qui apud Cimmerios natus? Aut quis in tam firma veritatis assertione dubius animi pendeat aut hæreat, nisi qui emotæ mentis?

CAPVT SEPTIMVM

De Causis legis & præcepti de Missa Parœciali audienda.

NEMO eorum qui de Pastoris cuiuslibet officio ac munere recta sentiũt, dubitauit vnquam, non tam humano quàm naturali & diuino iure Pastorum præceptam esse residentiam, vt quemadmodum non alieno nomine, sed per se ipsi instituti fuerunt Pastores & Rectores huius Populi; ita non aliena & vicaria opera, dum ipsi à suis absunt, sed propria cura & sollicitudine suæ fidei creditarum ouium saluti consulant. Quod nostri homines vulgari & omnium sermonibus trita sentẽtia Sapientis Prouerb. 27. confirmare solent, Diligenter cognosce vultum pecoris tui, tuósque greges considera. Ex Hebræo emphaticiùs dictum, Cognoscendo cognoscas faciem pecoris tui, ac si non leuiter, non perfunctoriè, qualisque quisque sit è Populo sibi com-

misso Pastor agnoscere debeat, sed exploratis potius & diligenter perpensis cuiúsque moribus & actionibus. Nec enim aliter Pastor ipse prestare poterit quod Deus aliquando Pastoribus per Ezechielem Prophetam præcepit. c. 34. Infirma consolidare, ægrotum sanare, contractum alligare, abiectum reducere, quod perierat quærere. Sed ne ijs vsitatis nimium querelis commemorandis in immensum excrescat oratio, quæ ad institutum faciant videamus. Ac primo loco certissimum residentiæ Pastoribus imperatæ & iudicium & testimoniũ esse dicamus, cum Pastor suas oues recta & sana doctrina velut salutifero cibo pascit & enutrit; Nec verò vllus vel locus vel conuentus aptior aut commodior censeri debet, quàm in Missa Parœciali, siue quæ in Ecclesia Parœciali, & propria, atque eo die quo conuenire solet & debet Populus ad sacrum audiendum. Quo vero tempore, & diximus superius & addemus insuper Veterum aliquot testimonia, quibus Pastores diebus Dominicis & inter Missarum solemnia Populum docere debuisse intelligamus.

Apud Græcos, Concilio Trullano, c. 19. Oportet eos qui præsunt Ecclesijs, in omnibus quidẽ diebus, sed præcipuè Dominicis, omnem Clerum & Populum docere pietatis & rectæ religionis eloquia. Sub Carolo M. Concil. Maguntino c. 25. De officio prædicationis, si fortè Episcopus non fuerit in domo sua, aut alia aliqua causa exigente non valuerit, nunquam tamen desit, diebus Dominicis aut Festiuitatibus, qui Verbum Dei prædicet, iuxta quod intelligere vulgus possit. Hoc quidem in Ciuitatibus factitatum ex eo liquet, ne quis vero in Parœcijs rusticanis aut similibus id desiderari potuisse putet, proferam Capitular. lib. 6. c. 167. Præcipitur fidelibus, saltem Dominico die communicẽt, nisi criminali peccato & manifesto impediantur; Eiusdem libri c. 202. Placuit vt fideles diem Dominicum, in quo Dominus resurrexit omnes venerabiliter colãt. Nã si Pagani, ob memoriam & reuerentiam Deorum suorum, quosdam dies colunt, & Iudæi more carnali Sabbathum carnaliter obseruant, quantò magis à Christianis iste dies honorificè colendus est, nè in illo sancto die, vanis fabulis aut lo-

cutionibus, siue cantationibus, vel saltationibus, aut derisionibus, stando in viuijs aut plateis, vt solet, inseruiant: sed ad Sacerdotem aut ad aliquem sapientem hominem & bonum veniant, & eorum prædicationibus & bonis locutionibus, quæ ad animam pertinent, vtantur. Supra monuimus ex Concilio Vasensi. 2. c. 2. ante Caroli M. tempora, & Concilio Arelatensi, sub ipso Carolo, c. 10. Non solum in Ciuitatibus, sed etiam in omnibus Parochijs statutum, vt Presbyteri Paroeci, ad Populum verbum facerent & bene viuere studerent, & Populo sibi cõmisso prædicare non negligerent.

Multis antè annis decretum illud fuisse in Gallia, colligitur Edicto Guntranni Regis Aurelianensium, quo Episcopos & reliquos Pastores hortatur vt omnibus diebus Dominicis & quibuscunque reliquis solemnitatibus, vniuersam Populi multitudinem constanti & Deo placita iugiter prædicatione corrigant, vt & benèviuentes mysticus adhortationis sermo mulceat, & excedentes ad viam recti itineris correctio Pastòralis adducat. Hinc repetitæ toties in Capitularibus, locis quamplurimis præceptiones, quæ partim

ad Sacerdotes ſeu Parœchos, partim ad fideles illorum curæ commiſſos ſpectant. Capitul. lib.1.c. 70. Epiſcopi diligenter diſcutiant per ſuas *Parœchias* Presbyterorum fidem, &c. & Dominicam orationē ipſi intelligant, & omnibus prædicent intelligendam, vt quiſque ſciat quid petat à Deo. C. 109.c. 166. Vt ipſi Sacerdotes, vnuſquiſque ſecundum ordinem ſuum prædicare & docere ſtudeat Plebem ſibi commiſſam. Lib. 5. c. 102. Vt Sacerdotes Populi ſibi commiſſi curam habeant & inſtanter de eorum animarum ſalute prædicent. Idem habetur variis locis ſequentium librorum Capitular. Viciſſim lib. 6. c. c.160. & 163. fideles iubenter fidem S. Trinitatis, vno nomine Symbolum, tum Orationem Dominicam diſcere, memoriter tenere & ſuis Sacerdotibus id eſt Parœcis, eam reddere & exponere per ſingula verba. Eiuſdem libri c.173. Placuit vt fideles ſilentium in Eccleſia teneant & deuotè verbum Dei audiant. Paucis dicam, librum hunc ſextum Capitularium magna parte inſtruere Sacerdotes ſeu Parœcos, quid docere debant Populum illis ſubiectum. Prætermitto alia iis affinia quæ ad propoſitū ita faciunt, vt cum Paſtores

oues suas docere debere audimus, ac propterea oues mutuò Pastorum concionibus & exhortationibus interesse debere, id nullo tempore vel commodius, vel quia ita necessum sit, fieri quam diebus Dominicis, & dum Missa Parœcialis habetur, quò Populus, si vnquam, conuenire solet ac debet, vt demonstrauimus anteà. Qua ergo æquitatis lege & quo iure compelli possunt Pastores, vt suos doceant, ni & ipsi adesse curent, nec constringi Parœci possunt vt doceant Populum, si non pari obligatione vt intersit ipse comprehendatur. Tenentur itaque parœci suos Parœcianos instruere, quod nec melius nec fructuosius, nisi diebus Dominicis & in Missa Parœciali; tenentur ergò & Parœciani tunc temporis parœcum audire docentem & monentem. Quod si illi Parœciali Missæ interesse non teneantur, quę ratio æqui & boni Parœcos magis obligare potest vt doceant suos? Itaque par ratio obligationis vtrosque constringit, aut pari facilitate ab omni illo onere soluentur. Parum religiosè me fecisse putarem si Sacrosanctum Concilium Tridentinum prætermitterem, quod de ea re sic statuit, et Sess. Sess. 24. c. 4. de reformat. Moneat Episco-
22. de observan. et evitand. in celebrat. Missæ

pus Populum diligenter *Teneri* vnumquẽque *parochiæ* ſuæ intereſſe, vbi commodè id fieri poteſt, ad audiendum verbum Dei. At ſi ſanctum Miſſæ ſacrificium cum verbo Dei fidelibus annunciato conferre liceat, quanto illud longè dignius & excellentius hoc poſteriore exiſtit, quandoquidem illo vno omnis Chriſtiana fides & Populi Chriſtiani religio nititur, quódque vnicum eſt & præcipuũ quo in vnam omnes animi noſtri fidem conueniunt, quo ſublato omnis omnino Chriſtiana religio funditus periiſſe exiſtimanda eſt: Ita ad illud in Parœcia audiendum, & cuius fructu planè diuino præſens ipſe participet, Populum multò magis teneri, quàm ad nudum verbum prædicatum in Parœcia, ſignificare voluiſſe Patres Tridentinos minimè dubitarem. Nam alioquin probaſſent eos qui concioni primas partes, Miſſæ ſecundas tribuerunt. Quod ſi cui forſan harum rerum collatio, vtra ſcilicet ſit anteponenda, ſcrupulum moueat, virum non minori eruditione quam religione prȩditum Petrum Cluniacenſem audiat, Epiſtola 2. contra Petrobruſſianos ſeu Albigenſes hæreticos Sacrificij Liturgici hoſtes acerrimos. Vtrum, inquit, te

magis moueat & ad admirandum & amandum accendat eius prædicata absentia quam demonstrata præsentia, sed scio quia non diffiteris quod verum est, magis humana corda moueri præsentibus quam absentibus rebus, quia istis plerumque nõ creditur, de illis vel in modico dubitare animus non sinitur. MOuetur igitur magis ad præsentem quam ad absentem, mouetur magis ad visum quam ad auditum Christum, mouetur ad admirandum, mouetur ad amandum, quo amore amanti generatur remissio peccatorum. Hactenus Petrus Abbas. Non dico nos ita Missę Sacrificio adesse debere vt à verbi Diuini prædicatione abstineamus, quod & aliquando respondit D. Ludouicus Gallorum Rex Henrico 3. Anglorum Regi apud Thomam Vvalsingham Monachum S. Albani in Eduardo 1. Sed cum eò ventum est vt alterum & quod præstantius sit eligamus, nemini sano capite dubitãdum erit Missæ Sacificium longo interuallo antecedere Concionandi partes. Quò fit vt Concilio Anthiocheno c. 2. Qui non communicant nec Orationem faciunt, Scripturas autem diuinas tantum in Ecclesia audire voluerint, excommunican-

tur. Ita profert hunc Canonem Fulgentius Ferrandus Carthaginenſis in Breuiatione Canonum, c.168.

Videtur autem petitus ille Canon Antiochenus è Canone 10. eorum qui Apoſtolis tribuuntur, qui eſt eiuſmodi ex Verſione Dionyſii Exigui. Omnes fideles qui ingrediuntur Eccleſiam & ſcripturas audiunt, non autem perſeuerant in oratione, nec ſanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Eccleſiæ commouentes conuenit communione priuari.

Qnod ſi Populus, decreto Concilii paſtorem multa de Chriſto abſente prædicantem audire teneantur, quid nō multò magis Chriſtum præſentem in tremendis Miſſæ myſteriis, à paſtore ſuo celebratis, adorare & venerari tenebitur? Eſt illud in confeſſo apud omnes qui Theologiam moralem explicarunt, parœcum toties Miſſam celebrare debere, quoties populus ex Iuris aut cōſuetudinis præcepto tenetur illam audire, ità, vt non ſui ipſius cauſa præſertim, ſed populi, ſacrum facere debet, diebus Dominicis & ſimilibus, quibus Iure veteri & conſuetudine populus ad Miſſarum ſolemnia conuenire

debet, veluti suprà demonstratum est, paroecus in illius gratiam & quia sui officij ratio ita postulat, Missæ sacrificium celebrabit: vnde fit vt par sit in vtrisque obligatio, & si populus Sacrificio pastoris non teneatur adesse, nec vicissim tenebitur pastor, sacrum populi sui causa facere.

Non leuiter exscribendus est de ea quæstione Canon Concilij Emeritensis in Hispaniæ parte quæ Lusitania dicitur, quandoquidem rem etiam nostro æuo & in Gallia nostra vsitatam, nobis ob oculos ponit, dum narrat Presbyteros Paroecos quibus plures commissæ fuerint Ecclesiæ, singulis diebus Dominicis, in singulis, Missæ Sacrificium celebrare debere. Est autem Canon 19. eiusmodi. In Parochijs multæ sunt Ecclesiæ constitutæ quæ à fidelibus factæ, aut paucum aut nihil de rebus videntur habere, Sacerdotali ergò decreto, Presbytero vni plures extant commissæ, vnde cauendum est ne occurrente paupertate ordo ibidem non impleatur Missæ. Proinde salubri deliberatione censemus vt pro singulis quibusque Ecclesijs in quibus Presbyter iussus fuerit, per sui Episcopi ordinatio-

nem præesse, pro singulis diebus Dominicis, sacrificium Deo procuret offerre, & eorum nomina à quibus eas Ecclesias constat esse constructas, vel qui aliquid his sanctis Ecclesijs videntur aut visi sunt contulisse, si viuentes in corpore sunt, ante altare recitentur tempore Missæ, quod si ab hac decesserunt luce nomina eorum cum defunctis fidelibus recitentur suo in ordine.

Consuetudinem maximè ponderandam esse ijs & similibus rebus permulti scribunt. Azorius viri & multę & eruditæ lectionis libro 7. Moral. Institut. c.6. Tom.1. postquam docuit Innocentium in c. Vt Dominicis. De Parochiis & ibidē Hostiensem, Ioannem Andream, Panormitanum, ac cęteros Iuris Canonici interpretes, sensisse præceptum esse Iuris Communis vt quisque in sua Parochia diebus Dominicis ac festis Missam audiat, tandem Ius istud, generali consuetudine Galliæ, Flandriæ, & Germaniæ firmari, valde probat.

Galliæ nostræ optimè consultum esse putatem, si Maiorum consuetudini hac in parte staremus, & quia in ea incidimus tempora, quibus recta & Catholica Fi-

des non leuiter periclitatur, ob hæresim multiplicem eámque omnium quotquot extiterunt pestilentissimam; cogitemus, obsecro, quæ tam multis vicinis Regnis & Prouincijs ex neglectis sacris illis solẽnibus Pastorum legitimorum, acciderunt, dum Populus spreto sacro illo conuentu Parœciali in effrenem ruit licentiam, ac quando sibi pro arbitrio pietatem in dies singulos nouam effinxit, tandem spreto Pastoris studio, cura & sanctis monitis, aut adulterinam aliquam suscepit & prurientem religionem, aut nullam omnino retinuit. Hæc vna ad omnes blasphemias & corruptelas fenestra aperta est. Vicinæ regiones huius rei fidem facient, sed liceat illud Pacati Drepanij Galli Oratoris in panegyrico ad Theodosium Magnum vsurpare. Vnde ordiar nisi à tuis mea Gallia malis, quæ ex omnibus terris quas illa pestis, hæreseos, insedit, haud iniuria tibi vindicas priuilegium miseriarum. Ea tamen semper fuit ad hæc vsque tempora Gallorum nostrorum pura proba ac minimè fucata religio, vt piaculũ & capitale videretur, si quis, absque causa graui & legitima, à Missa Parœciali abfuisset. Ea peculiaris nostrorum pie-

tas, quam in cæteris, licet ſe valde religioſos iactitent meritò deſiderare poſſis, quamque noſtri in Eccleſias alias inuexerunt, nō ſine diuini cultus maximo incremento & magmento. Adeò aſſuetum noſtris Gallis Miſſæ Parœciali adeſſe & vniuerſali quidem totius Parœciæ concurſu, vt in gratiam eorum qui Sacroſanctam Euchariſtiam non ſumerent, quique non exiguo eſſent numero, Panē benedicerent Parœci, quem Populo diſtribuebant, *Eulogias* noſtri dixerunt, qui Panem iſtum benedictum, vt vulgò dicimus, Panem Cathecumenorum appellant, toto cœlo aberrant, nam non eſt idem Panis Cathecumenorum cum *Eulogiis*, quod ex veteribus ſatis colligitur, nec eſt huius loci eiuſmodi inquiſitio. De illo vulgari apud nos Pane benedicto ſeu *Eulogiis* quas Populus non communicans accipit Dominicis diebus, in noſtris Gallicanis Eccleſiis Parœcialibus, ſic Concilium Nanneten. c. 9. Vt de oblationibus quæ offeruntur à Populo & conſecrationi ſuperſunt, vel de Panibus quos offerunt fideles ad Eccleſiam vel certe de ſuis. Presbyter conuenienter partes inciſas habeat in vaſe nitido, vt poſt Miſſarum ſolemnia,

qui communicare non fuerunt parati, *eulogias* omni die Dominico & in diebus festis exinde accipiant, & illa vnde *Eulogias* Presbyter daturus est, ante in hæc verba benedicat. Sequitur Oratio in benedictione *Eulogiarum*. Citant Burchard. lib. 5. c. 27. & Iuo part. 2. c. 37. longe emendatius quàm in Conciliis editis, sed illi, auctorem huius decreti nominant Pium I. P. Rom. in Decretis c. 4. In Ecclesia Orientali panis huius benedicendi morem receptum fuisse certum est, παναγίαν barbaro vocabulo ex Græco & Latino mixto vocat Curopalates, Libro de officijs Palatinis & Ecclesiasticis Constantinopol. vt cuipiam visum est, fortean quod apud hunc auctorem innumera extent vocabula Semi-barbara. Sacro-sanctam Eucharistiam sunt qui interpretentur, ac integræ perfectæq; sāctificationis fontē in ea contineri omnes boni & pij norunt: Attamen narrat Curopalates Imperatori ad mensam in Regia sedenti, post sublatas epulas consuetas, panagian è panagrario seu vase, seu cista, sublatam, a domestico rei domesticæ, offerri, quod minus consentaneè ad Sacrum Christi corpus referri potest, quod vel Apostolica sanctione

nonnisi

nonnisi a ieiunis fidelibus,sanis quidẽ & vegetis sumi potest,teste D.Augustino Epistola 118. vt cæteros Patres omittam. Itaque sanctificatum seu precatione aliqua benedictum panem, neque prophanum & communem interpretari licet, huncq; ritum à Gallis in Græciam importatum esse sunt qui affirment,non ausim asseuerare. Scio *Eulogiarum* mentionem haberi Cõcil. Laodiceno c. 14. & 32. sed nonnihil differunt à nostris, Dominico die, fidelibus non communicantibus tradendis.

Verum quoniam superiori Canone Concilij Nannetensis mentio facta est oblationum, quas à Populo, Dominicis & alijs Festis dieb⁹, Parœcus accipiebat, quarum quę superarent benedicebantur & dabantur Populo, Eulogiarum nomine, nihil erit ab instituto alienum si de ijs nonnulla dicamus, & certè rem quæsitam ista non parum explanabunt. Notum est & Iure communi, & vsu ac praxi Maiorũ nostrorum, Populum Dominicis & cęteris Festis diebus, aliquid de suis rebus Deo offerre debere. Libris Capitulariũ, quibus veteres Gallorum nostrorum mores exprimuntur, multoties illud repetitum est, pauca loca producam Capitul.

ib.5. c.219. hoc Populo nuncietur quod per omnes dies Dominicos, oblationes Deo offerant, & vt ipsa oblatio foris septa altaris recipiatur. Concil. 2. Matisconens. c. 4. Capitul. lib. 6. c. 167. Placuit vt fideles, oblationes eorum Sacerdotibus quotidie, si fieri potest in Ecclesia offerant, & si quotidie non potest, saltem Dominico die, absque vlla excusatione fiat. c. 191. Vt Sacerdotes, id est Parœci, admoneant viros & mulieres vt ad Basilicas, luminaria, incensum & buccellas & primitias afferant, siue offerant, sicut scriptū est, Honora Dominum de tua substantia & de primitijs frugum tuarum da pauperibus. Capite sequenti sub finem idem scribitur, vbi pro Auferant, legendum *Offerant*. Concilio Cabilonensi sub Carolo Magno c. 19. Episcopi sanciunt vt Episcoporum & Abbatum Coloni & familiæ ipsorum ad eas Ecclesias deferant decimas suas vbi infantes eorum baptisantur, & vbi per totum anni circulū Missas audiunt, Nec alias Ecclesias intelligendas esse dixero quàm Paroeciales, vt anteâ monuimus capite sexto.

Henricus Cardinalis Ostiensis, Archiepiscopus Ebredunensis Gallus, D. Tho-

mæ Aquinati æqualis, libro 3. Summæ. Rub. De Parochiis & alien. Parochian. numero 4. ait Parochianos, & teneri & cogi poſſe ad quidpiam rerum ſuarum temporalium offerendum, diebus Dominicis & alijs feſtiuis, quando Miſſam tenentur audire. Quia in quæſtione illud præcipuè obſeruandum eſt, quod adnotauit Sotus libro 9. de Iuſtitia & Iure, quæſtio. tertia. art.1. de eiuſmodi oblationibus loquens. Vbi, inquit, decimæ in vſu non ſunt, neque alia miniſtris iuſta ſtipendia conſtituta, ibi conſuetiſſimæ oblationes cenſentur in præcepto eſſe. Si ergò Parœco nulla ſit alia ratio vitæ, cum dignitate, tuendæ, quàm ex oblationibus Parœcianorum, cum nec prædia, nec decimæ prædiales aut ſimiles redditus illi aſſignati ſint, certum erit Parœcianos peccare qui nulla excuſatione ſincera, à Miſſa Parœciali abfuerint diebus Dominicis, quibus Parœco teneantur ſuppeditare vnde viuat. Obiter illud moneo in Oriente locis nonnullis Parœcianos ſacro Paſchatis feſto Parœco ſuo munuſcula offerre ſolitos. Id teſtatur Balſamo notatione in Canonem 23. Concilij Trullani, cum narrat ſe vidiſſe in Parœ-

cia quæ Calotychas appellatur, homines ac mulieres ad Ecclesiã confluentes cum ouis callinæ, panis fermento mixtis, & cum salsis carnibus, & cum aliis quibusdam esculentis, vel etiam ad aliquid aliud aptis, quæ illi offerrent Paroeco seu Sacerdoti qui diuina Sacramenta ministrabat. Adiungã & illud multa in Missa Parœciali publicari, quę oẽs nosse oporteat.

Occurrit illud in primis quod cauerunt maiores nostri de expositis infantibus, vt Parœci die Dominico Populum monerent, expositos illos esse collectos, sunt autem hæc Concilij Valensis c. 9. De expositis infantibus, quia conclamatur ab omnibus, querela præcessit, eos non misericordiæ iam, sed canibus exponi, quos colligere calumniatorum metu, quamuis inflexa præceptis misericordiæ mens humana detrectet, id seruandum visum est, vt secundum statuta fidelissimorum pijssimorumque Augustorum & Principum, quisquis expositum colligit Ecclesiam contestetur, contestationem colligat, nihilominus de altario, Dominico die, Minister annuntiet, vt Ecclesia sciat expositum esse collectum, vt intra dies decem ab expositionis die, expositum recipiat, si quis probauerit se ag-

nouiſſe: collectori pro ipſorum decē dierum miſericordia, prout maluerit, aut præſens retribuat, aut in perpetuum, cum DEI gratiā, ſi voluerit, poſſideat. Eſt autem deſumptus Canon ex Concilio Arelatenſi 2. ſub Conſtantino Magno c.32. quē non pigebit exſcribere. Si expoſitus ante Eccleſiam cuiuſcunque fuerit miſeratione collectus cōteſtationis ponat Epiſtolam. Et ſi is qui collectus eſt intra decem dies quæſitus agnituſque non fuerit, ſecurus habeat qui collegit. Sane qui poſt prædictum tempus calumniator extiterit, vt homicida, Eccleſiaſtica diſtrictione damnabitur, ſicut Patrum ſanxit auctoritas. Repetitur Capitul. lib. 6. c. 142. Eſt certè illud valde notandum in Veteri Eccleſia & priſcîs illis temporibus infantes furtiua Venere conceptos, ad valuas Eccleſiæ exponi ſolitos, Ita Concilio Matiſcenſi ſeu Matiſconenſi c. 6. vt citant Burchardus lib. 3. c. 200. Iuo part. 3. c. 252. In hoc ſancto Concilio decretum eſt vt vnuſquiſque Presbyter in ſua Plebe publicè annuntiet vt ſi aliqua fœmina clanculò correpta conceperit, nequaquam filium aut filiam ſuam interficiat, ſed quocunque præualet ingenio, ante ianuas EC-

clesiæ partum deportari ibique poni faciat, vt coram Sacerdote in crastinum delatus, ab aliquo fideli suscipiatur & enutriatur. Idem habemus contestatum Codice de infantibus expositis l. vltima, &c. Et certè apud Græcos & in Oriēte infantes recens natos à matribus in Ecclesiarū atrijs exponi solitos scribit Balsamo in Can. 33. Epistolæ D. Basilij ad Amphilochium. Iuris Græco-Romani lib. 3. ad calcem numero 2. illud quæritur, an sint puniendæ quæ proprios filios in atrijs & aditibus Ecclesiarum exponunt, tandem Synodali sententia responsum mulieres istas vt homicidas puniri, & si infantes ab aliquibus educentur. Sed paulò seuerior Græcorum sententia alicui videri possit, meritò, nisi decretum istud de infantibus legitimo matrimonio natis, sed à parentibus, seu ob inopiam, seu ob improbitatē expositis, non autem de infantibus non legitimè susceptis. Et certè Imperatoriæ leges, de quibus Canon ille Vasensis, grauissimè inuehuntur in eos parentes qui liberos ita exponunt, atque ijs non leues irrogant pœnas, si quidem Cod. de infantibus expositis l. 2. Infantes expositi quodammodo ad mortē dicuntur, & pereun-

tes contempti a parentibus, qui mortis forte ſpem circa eos habuerunt, vt ait l. 3. eod. titul. Rectiſſimè Paul. I.C. D. de agnoſ. & ad lib. l. 4. Necare videtur, non tantum is qui partum præfocat, ſed & is qui abijcit, & qui alimonia denegat, & is qui publicis locis miſericordiæ cauſa exponit, quam ipſe non habet. Denique Iuſtinianus l. vltim. Cod. de infantibus expoſit. Quoſcunque vel in Eccleſijs vel in vicis, vel alijs locis abiectos conſtiterit, liberos eſſe ſancimus, ne illis quidem qui hæc faciunt irrogandas ex legibus noſtris pœnas effugientibus, velut omni refertis inhumanitate & crudelitate, quæ tanto quouis homicidio peior eſt, quanto miſerioribus eam inferunt.

Non aliter Canon Matiſcenſis ex Burchardo & Iuone citatus, ob infantem expoſitum, ab aliquo fideli ſuſceptum, homicidij reatus, & quod maius eſt, parricidium euitatur. Quod autem Canon Arelatenſis præcipit conteſtationis Epiſtolam ipſis infantibus expoſitis apponendam eſſe, hoc videtur, ex vſu apud nos recepto, ſignificari, fidem fieri hac Epiſtola puerum expoſitum, vel nondum ſacro lauacro tinctum, vel ſecùs. Vel

intelligi Episcopalem subscriptionē, post testes adhibitos, vt indicat l. 2. tit. de exposit. lib. 5. Cod. Theodos. quæ cautio omissa est in Cod. Iustinian. l. 2. tit. de Infant. expos. Sed vereor ne nimium multa à nobis dicta sint de expositis infantibus quos Parœcianis suis suscipiendos & alendos *voluntate, misericordiæ amica*, vt lex loquitur, Paroecus de altari seu inter Missarum solemnia commendare debeat. Persequor cætera quæ Parœcianos ex ore Parœci edicentis rescire æquum est, veluti cum ob matrimonium inter aliquos cōtrahendum, tria edicta seu proclamationes ennunciari solent. Quorum inuentum & institutum ab Ecclesia Gallicana ad cæteras manasse qui dicunt, vera dicunt, vt videre est Collectione quarta veteri Decretalium, edente Anton. Augustino, lib. 4. tit. 1. c. 1. vbi Innocentius 3. P. Rom. ad Bellouacensem Episcopum in Gallia, Cum in tua &c. Sanè quia contingit interdum, quod aliquibus volentibus contrahere matrimonium Bannis, vt tuis verbis vtamur, in Ecclesijs *Secundum consuetudinem Ecclesiæ Gallicanæ* edtitis &c. hæc postrema verba *Secund. consuetud. Ecclesiæ. Gallicanæ*, omisit Rai-

mundus Decretalium collector, iussu Gregorij 9.lib.4.tit.1. Desponsa lib.c.cũ in tua. Atque has solemnes esse debere denunciationes edixit Concil. Trident. ne quid vitij in ipsis lateat matrimonijs, quod qui sciuerit non poterit ritè patefacere, nisi Missæ Parœciali intersit, qua hæc omnibus significantur, ne quis aliquam huiusce rei ignorationem prætexere queat, aut si ignoret contrahendum illud matrimonium, & absens à Missa Paroeciali nihil quidquã huiusce rei resciat; non sine scandalo & sæpe parum fœlici successu, vbi quod nouerit impedimentum, iam consummato matrimonio, declarauerit, de dissoluendo agetur matrimonio. Quod & in monitionibus illis, quæ ter ante excommunicationis sentẽtiam ferendam recitari solent, contingit; quãtus enim fidelium animabus laqueus inijcitur, si potestatem omnibus Parochianis facias, sine vllius præcepti metu, vbi velint Missam Dominico die audire, quot absentes vel cõscij, vel fautores, vel cõsultores, vel auditores sceleris admissi, propter quod illa excommunicatio pronunciatur, sacro illo fulmine feriuntur, nec vlla absentiæ à Missa Paroeciali ex-

cusatione se se tueri possunt, nisi ea proba sit & legitima. Vnde Concil. Senonense superius, ita decernit c. 12. Ad omnia illa quæ per singulos dies Dominicos in Pronis præcipiunt Parochiani attendant.

Cuiusmodi sunt festi Dies, & Sacri, quos inter Missarum solennia Paroecus annuntiare debet, vt & ieiunia, de quibus Magunt. Concil. & Capitul. lib. 1. Concil. Foroiuliēsi c. 13. Et adnotauit Gratian. de Consecrat. d. 3. c. 1. Addo & Ieiunia seu vsitata & ab omnibus recepta, quale notissimū illud Magnæ Quadragesimæ, seu quæ extra ordinē indicta. De qua re Capitul. lib. 6. c. 183. c. 184. c. 187. Multa & prę cedētibus & sequētibus capitibus, huius libri 6. Capitul. enumerātur, quæ iubentur Parœci significare suis Paroecianis.

Multa alia huiusce generis sciens omitto, verum quoniam modò *Proni*, vocis Gallicæ mentionem fecimus ex Concilio Senonensi, rem istam Gallis pridem vsitatam fuisse declaremus, quod extra rem minimè videbitur. Sic Concilium Aurelianense c. 3. vt citant Burchardus lib. 2. c. 70. & Iuo part. 2. c. 120. nec quale sit Aurelianense exprimunt. Oportet vt diebus Dominicis vel Festis post sermo-

nem Miſſarum inter ſolemnia habitum, Plebem Sacerdos admoneat, vt iuxta Apoſtolicam inſtitutionem, 1. Timoth. 2. omnes in commune pro diuerſis neceſſitatibus preces fundant ad Dominũ, pro Rege, pro Epiſcopis & Rectoribus Eccleſiarum, pro pace, pro peſte, pro infirmis qui in ipſa Parochia lecto decunbunt, pro nuper defunctis, in quibus ſingulatim precibus, Plebs Orationem Dominicam ſub ſilentio dicat, Sacerdotes verò Orationes ad hoc pertinentes, per ſingulas admonitiones, ſolemniter expleant. Ita Concil. iſtud, illi profectò in Regem ſuum, in Paſtores legitimos, in ſalutem communem, in ſuos non bene affecti videntur, qui ſine vlla ſincera excuſatione, ab illis publicis & generalibus precibus nimium temerè abſunt. De Rege monebo illud obiter Capitul. lib. 7. c. 97. vetus Gallorum noſtrorum ſcitum, Vt quando denunciatum fuerit pro Rege, vel pro fidelibus ſuis, qualibet cauſa Orationes facere, nemo ex hoc negligens appareat.

Singulare maiorum noſtrorum Francorum pro Rege, pro Patriæ ſalute, orandi ſtudium multa teſtantur, extat inſigne

capitulum de ea re lib. 5. Capitul.c. 136.
Capitulare qualiter institutum est in hoc Episcoporum conuentu, id est vt vnusquisque Episcopus tres Missas & tria Psalteria, vnum pro Domino Rege, & alium pro excercitu Francorũ, tertium pro præsenti tribulatione faciat. Presbyter Missas tres. Monachi & Monachæ & Canonici vnusquisque psalteria tria. Et biduanas omnes faciant tam Episcopi, monachi, & Monachæ atque Canonici, atque eorum infrà casati homines, vel qui potẽtes sunt. Et vnusquisque Episcopus, Abbas & Abbatissa, qui facere potest, libram donet de argento, aut eam valente in eleemosyna. Mediocres verò dimidiam libram: minores vero solidos quinque. Episcopi, Abbates, & Abbatissæ pauperes famelicos quatuor, pro ista strictitate, nutrire debeant vsque tempore messium. Et qui tantum non possunt, iuxta quod possibilitas est, aut tres vel duos aut vnum. Comites fortiores libram de argento aut valente donent in eleemosyna. Mediocres vero mediam libram. Vassus Dominicus de casatis ducẽtis, mediam libram; De casatis Centum, solidos quinque; de quinquaginta, vnciam vnam, & faciant

biduanas & eorum homines atque caſa-
ti vel qui hoc facere poſſunt. Et qui redi-
mere ipſam triduanam voluerit, fortiores
Comites vncias tres, Mediocres denarios
triginta, Minores ſolidũ vnum, & de pau-
peribus famelicis, ſicut ſupra ſcriptum eſt
ipſi faciant. Hæc omnia ſi Domino pla-
cuerit pro Domino Rege, & exercitu Frã-
corum, & præſenti tribulatione Miſſa id
eſt feſtiuitate Sancti Ioannis ſunt com-
pleta. Integrum caput adſcribere mihi
operæpretium viſum eſt vt ſciant poſteri,
& qui nunc extant Franci noſtri, quantũ
a ſincero in Regem & Principem ſuum
affectu, ab illa in Galliam noſtram dulciſ-
ſimam patriam charitate defecerint. Mul-
ta in illo capitulo obſeruatu digna occur-
runt, ſeu de Regis in Miſſæ ſacrificio com-
memoratione & quidem antiquo vſu &
praxi vt apparet homil. 6. D. Chriſoſto.
in 1. ad Timoth. Liturg. D. Baſilij D. Am-
broſ. lib. 4. de Sacram. c. 4. ſeu de bidua-
nis & triduanis ieiunijs, eorumque re-
demptione, de qua re aptus dicendi lo-
cus in explicanda Veteris Eccleſiæ diſci-
plina circa Pœnitentes: Repetitum au-
tem decretum iſtud multoties ab Epiſco-
pis Gallis vt videre eſt Concilio Arela-
tenſi 4. ſub Carolo Magno c. 2. Turonen.
3. c. 1. Cabilonenſ. 2. c. 66. Rhemenſ. c. 40.

Concilio Parisiensi sub Ludouico Pio lib.1.c.5. Concil. Magunt. sub Rabano, Præfatione. Concil. Maguntino sub Arnulpho Imper.c.1. In Hispania idem factitatum, vt docet Concilij Emeritensis caput tertium eiusmodi. Quando quidem Regem causa ingredi fecerit contra suos hostes, vnusquisque nostrum in Ecclesia sua hunc teneat ordinem ita vt omnibus diebus per bonam dispositionem, sacrificium omnipotenti Deo, pro eius suorumque fidelium atque exercitus sui salute offeratur, & diuinæ virtutis auxilium impetretur vt salus cunctis a Domino tribuatur, vt victoria illi ab omnipotenti Deo concedatur. Concil. Toletan. 16. c. 8. non tam belli quin potius pacis tempore præcipit singulis anni diebus, vno excepto passionis Dominicæ die, pro ipso Rege, pro cunctis eius filijs vel filiabus, aut pro his qui iam matrimoniali sunt iure coniuncti, adhucque sunt coniungendi, seu pro nepotibus, vel suis omnibus, Sacrificiorum Domino libamina dedicari, piæ orationis vota solui.

Is ritus hodierno die, in Prono, vt vocant, apud nos seruatur. Hæc licet bonos omnes & auitę pietatis ac probita-

tis amantissimos mouere satis possint, attamen illud, quod nos iam sparsim attigimus, præ oculis nostros habere velim, & velut aculeum illorum mentibus infigam lubens. In Extrauagantibus communibus, tit. de treuga & pace, est autem bulla Sixti 4. P. Rom. pro pace componenda inter Parochos Germaniæ & fratres Mendicantes, docet quidem Pontifex Romanus Iure cautum esse diebus Festiuis & Dominicis Parochianos teneri audire Missam in suorum Presbyterorum Parochianorum Parochiali Ecclesia, nisi forsan, ex honesta causa, ab ipsa Ecclesia abessent. Nihil certè Veteres Christiani prius aut antiquius esse duxerunt, in retinenda pura illa & illibata disciplina Christiana, quam vt Pastores ipsi & qui Plebes regendas suscepissent, suis essent limitibus contenti, nec quod esset alieni imperij Ecclesiastici ambitiosè vsurparent. Plena sunt harum rerum prisca Concilia, & posteriori Iure nostro Canonico Gallicano, seu è Capitularibus aliquid delibemus. Capitul. lib. 7. c. 22. citatur Canon 14. Apostol. c. 32. Sit vnusquisque Sacerdos id est Parœcus, concessis sibi contentus limitibus, nec in

alterius Parochia quidquam præſumat, ne vſurpatione locus alieno, ſic lego non Alieni vt in excuſis, Sacerdoti in alterius cōcedatur iniuriam. Eiuſdem libri c. 141. Statutum eſt vt nullus Presbyter fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ de alterius Presbyteri Parochia perſuadeat, vt ad ſuam Eccleſiam, relicta propria Eccleſia conueniant & ſuas decimas ſibi dent. Hæc ſcribuntur ijſdem verbis à Theodulpho Aurelianenſi Epiſcopo ad Presbyteros ſeu Parœcos Aurelianenſes c. 14. Facillimè equidem & nullo negotio ſuos Parœcianos ipſi Paſtores agnoſcere poſſunt, quos frequentes Sacræ Liturgiæ officio in Eccleſia Parœciali adeſſe viderint. Et quoniam ita comparatum eſt apud nos vt verè Chriſtiani, qui Magiſtratus aliquos inire debeant, imprimis fidem rectam & Catholicam ſe tenere certiſſimis teſtimonijs docere debeant: qua mente, qua fide Parœci ſuos Parœcianos eiuſmodi Orthodoxos eſſe profitebuntur, quos aut nunquam aut rarò Miſſæ Parœciali & ſolemni illi conuentui totius Populi vicini interfuiſſe nouerint? Vnus hic, ita me Deus amet, noſtris temporibus in Gallia, lapis Lydius, ad

quem

quem homines huius æui explorare necesse sit, quanquam non sanæ fidei quidam solemnibus sacris in Ecclesia Parœciali intersint aliquando, & qui vix à Parœco deprehendi possint. Manichæi dãnata illorum secta, Imperatorijs Edictis, in Ecclesias Catholicorum conuenire cogebantur, neque propterea Catholicam religionem sincerè profitebantur & semper aliquid monstri alebant, verum sacra Communio Corporis & Sanguinis Christi prodebat latentem & quodammodò sopitam hæresim. Atque vtinam tam certa esset nobis relicta via, certúsque ritus, quo tectos illos homines, profanos planè deprehenderemus. Missa Parœcialis licet satis commoda atque opportuna ratio videatur, quæ legitimos Ecclesiæ filios à spurijs secernat, tamen nescio an genio Gentis nostræ an sæculi, homines isti velut Cothurni quam sibi suísque rebus hodie magis consentaneam magísque profuturam existimarint religionẽ, illã amplectuntur postridie eandem eiuraturi, qui huc atque illuc nullo negotio impelluntur, qui sacra nostra partim probãt, partim damnant, quibus crebrò illud in ore est. Quò me cúmque ra-

pit tempeſtas deferor hoſpes. Et ſi non ſim neſcius ſi quis in formulam fidei Catholicæ, iſtius generis homines conceptis verbis iurare cogeret, non defuturos qui iſtud omninò detrectarent, alios forte arbitror qui facilè iurarent, ſed eo ſenſu quem ipſi animo conceperunt. Miſſam Parœcialem, velut teſſeram fidei Catholicæ, hoc tempore retineamus, ita vt qui non ſemel ſed ſæpius illi interfuerit Catholicus ex animo cenſeatur: neque quid quiſque apud ſe ſentiat cogitemus, ſed hac publica actione vnumquemque quod eſt primum ac præcipuum in religione Catholica probare, & cætera eiuſdem inſtituti credenda eſſe & amplectenda palam profiteri iure pronunciamus. Ecquis enim neſcit Chriſtianum aliquem ſi vel Iudæorum Synagogas vel hæreticorum conciliabula non ſemel ſed multoties adeat, Iudaïſmi aut hæreſeos impietate teneri. Ea, credo, ratio impulit maximos & ſuorum ſalutis amantiſſimos Præſules Hiſpanos, Archiepiſcopum Toletanum & Epiſcopos Palentinum atque Salmanticenſem, vt orarent ſacri Concilij Tridentini Illuſtriſſimos interpretes, quatenus cenſerent Miſſam Parœcialem

ex præcepto & lege Ecclesiastica audiendam. Aduertebant prudentissimi Pontifices apud suos, & quod passim occurrit in Hispania, permultos esse vel à Iudæis vel ab Affricanis Mahumedicis seu Sarracenis oriundos & paternæ impietatis successores: addo quinetiam alios gentilitia Idololatria & Magia insignes, vt A-pote ex relliquijs Cananæorum, Amorræorum & cæterorum eiusmodi qui Palæstina exacti à Iosue, partim in Hispania consederunt, vt apud Hispanicæ historiæ scriptores videre licet. Sed cum non facilè discerni possent meri Christiani à fucatis, hocce ventilabrum optimi Antistites expostulabant quo in area Domini, paleæ istæ à frumento secernerentur. Apud nostros Gallos, non modò suprà octingentos annos recepta consuetudo & leges latæ quas recensuimus anteà, præter rationes nostris hominibus peculiares, Sanctissimæ Constitutionis vim habent, vt qui de illa tantillum dubitet, non iam mihi genere Gallus, sed Gallus videbitur ex eorum genere qui iactant caput. Siquidē post tantam Cōciliorum rationumque nubem quis nisi plane superstitiosus de rei veritate dubi-

tet. Frustra est qui, dum conuiciis & calumniis Paroecos proscindit, rem se confecisse putat. Eleganter & verè D. Hiero. Apolog. cõtra Ruffin. lib. 3. Ille loquatur spurcitias qui potest spurca committere.

Ista semper fuit nostrorum pietas hac in re vt Ecclesiarum suarum Parœcialiũ curam & solicitudinem maximam gererent, testantur ædes ipsæ sacræ Parœciales magnificè constructæ, & in nonnullis earum Regiæ penitus substructionum moles, magnificentius exornatæ, vt cum iis, absit verbo inuidia, nullæ omnino reliquarum Orbis Christiani regionum sint conferendæ. Nihil quidquam affingo, nec amor Patriæ transuersum me agit, locupletissimos huius rei testes habeo exteros omnes quotquot nostras Lutetianas Parœcias inuisunt. Quidni studium & operam nostram tam religiosè in nostris illis Ecclesijs Parœcialibus construendis, amplificandis, ornandis collocabimus, quæ maioris dignitatis gratia *Basilicæ* nostris Maioribus dictæ sunt, vtpote Rlegi Regum dicatæ consecratæ. Conci io Aurelianensi 1. c. 19. Clodoueo Rege, Aurelianensi tertia c. 5. vb *Basilicæ* aliæ Vrbanæ, aliæ Ru-

ſticæ, ſiue Parœciæ in Vrbanas & Ruſticas diſtributæ, de quibus ſupra c.2. Cōcilio Pariſienſi ſub Ludouico Pio & Lothario filio, Imp. lib. 1. c. 49. Omitto reliqua: Quod & apud Hiſpanos locum obtinuit, Concilio Toletano 4. c. 34. Eæ noſtræ ſunt *Baptiſmales Eccleſiæ*, priſcis tēporibus nūcupatæ, Legis Francicæ lib. 5. ſeu in legibus Pipini Regis Italiæ Ludouici Pij F. tit. 19. §. 1. tit. 23. §. tit. 29. §. 3. Tum apud Gratianum. 16. qu. 1. c. 45. ex Leone 4. P. R. c. 49. Ex Concil. Magunt. c. 46. adduximus antea: c. 54. ex Concilio Toletano, ſed quale ſit non expreſſit Gratiā. Burchard. lib. 3. c. 22. Et Iuo part. 3. c. 25. citant ex Aquiſgranenſi. Denique c. 55. ex Anaſtaſio P. R. ita citat Gratian. Statuimus, vt ſi quis oblationes Eccleſiæ, vel decimas, quas populus dare debet, tenere contenderit, vel extra baptiſmalem Eccleſiam dare voluerit præter conſcientiam Epiſcopi, vel eius, cui huiuſcemodi officia commiſſa ſunt, nec cum eorum voluerit agere conſilio, bannum noſtrum componat, & communione priuetur. Citant Gratiani emendatores Romani ex Capitul. lib. 6. c. 85. & lib. 7. c. 7. In editione Gallica Capitularium, non

extat Capitulum istud, quanquam illius partem aliquam legere licet, libri 7. c. 5. & c. 188.


Voculæ illæ *Bannum nostrum* insertæ capitulo huic, satis indicant Francicam esse legem, à Carolo magno, vel aliquo è posteris Regibus latam. In Constitutionibus Caroli Magni editionis Amerbachianæ extat Decretum eiusmodi. De Ecclesiis Baptismalibus vt nullatenus eas laici homines tenere debeant, sed per Sacerdotes fiant, sicut ordo est, gubernatæ, Concil. Meldens. idem cap. 48. Valafridus Strabo libro de rebus Ecclesiasticis c. 31. vbi inter se comparat Ecclesiasticos ordines cum sæcularibus, ita scribit. Centenarii qui & Centuriones, sic legendum, non *Centenariones* vt in excusis, vel Vicarii qui per pagos constituti sunt, Presbyteris Plebium, qui Baptismales Ecclesias tenent, & minoribus Presbyteris præsunt, conferri queunt.

Posteriora tempora non attingo: in illis siquidem Ecclesiis Baptismum, siue, vt Maiores nostri loquebantur, Christianitatem suscepimus. Concilio Pictauensi, c. 6. Presbyter de cura animarum & de *Christianitatis* ministerio Episcopo respon-

deat, Christianitatem hoc loco Baptismum præsertim appellari ex collatione similium locorum ex Conciliis & aliis notissimum est, vt Concilio Arelatensi 4. c. 4. Presbyteri quando ad Concilium venerint rationem Episcopo suo reddant qualiter susceptum officium vel baptismum celebrent. Idem Capitul. lib. 7. c. 108. Et apud Gratian. 16. q. 1. c. 25. ex Cōcilio Bonifacii 4. Papæ, quod & Iuo refert part. 7. c. 22. Christianitatem id est, Baptismum largiri legimus, tum vulgaris apud Plebem nostram locutio satis id cōfirmat cum Christianitatis nomine Baptismum insinuat, siquidem eo fidei Christianæ tesseram accipiamus & Christianorum albo inscribamur : quanquam non negem hoc verbo in superiori Canone, cætera quæ fidei sunt comprehendi posse. Sed nihil meo iudicio tam nos mouere debet vt ad Ecclesias nostras Parœciales lubentius & frequentius concurramus quàm quod Veteribus Gallis, illæ, *Oracula*, nuncupentur, Edicto Guntranni Regis de stirpe Clodouæi, vbi Templorum Oracula , sic enim legendum non Temporum, vt in excusis Cōciliis, commemorantur. Quam appellationem ne-

mo ad alias Ecclesias quam Parœciales detorqueat, quo nomine Ecclesiæ etiam Cathedrales intelliguntur, sunt enim illæ Principales Parœciæ, vt Episcopus Primus ac summus suæ Diœceseos Parœcus, Pipini Regis Italiæ lege firmabo, titul. 19. De Ecclesiis §. 1. vbi Ecclesias *Baptismales* hoc est Parœcias *Oracula* nominat. Et meritò vbi Oracula Dei Optimi Maximi, nõ aliena, non emendicata, sed propria auctoritate à proprio Pastore enunciata, nõ tam hominis vocem quam Dei, legitimi Pastoris ore loquentis oraculum esse demonstrant. Hæc in tantis fluctuantium animorum procellis securitas, vt dum in Ecclesias Parœciales ad sacrum audiendum, Parœco faciente, frequentes legitimo & ordinario conuentu vt ait Concilium Agathense, concurrimus, nos in Arca Noe hoc est in Ecclesia Christi Catholica & Romana esse certo sciamus, cum Hierarchico ordini, cuius vertex est Pontifex Romanus, nostris Maioribus Apostolicus dictus, religiosè & sincerè adhæreamus.

FINIS.


169
8.6.70

